












AVGERII FERRERII TOLOSATIS MEDICI LIBER DE SOMNIIS.



Hippocratis de Insomniis Liber.

Galeni Liber de Insomniis.

Synesii Liber de Somniis.



LVGDVNI,
Apud Ioan. Tornæsium.
M. D. XLIX.



AVGERII FERRERII
Medici, in librum ſuum de Somnijs, ad Doctiß. uirum Robertum Hayum, Remenſem, Præfatio.

*



CVM mecum ipſe reputo, Doctiſs. Hay, quid, quantum'ue infiniti propemodum noſtri temporis, & antiqui ſcriptores in tradendis diſciplinis, & omni rerum inquiſitione præſtiterint: non poſſum ſatis laudare antiquorum vigilantiam, qui cum naturalem philoſophiã, mathematicasq; artes, & omnem de moribus ſapientiam ad vmbilicum (quod dicitur) deduxiſſent, mox impetu quodam ani-

mi ad maiora delati, ſumma intelligentia cum immortalibus animis, atq; puriſsimis ideis verſari cœperunt, vt tanquam ab eis edocti, ſecretiſsima naturæ myſteria, ea etiam quæ nos viliſsima eſſe putamus, diligentiſsimè pertractarint. Extabant olim commentaria multa de Aruſpicina, de Augurijs, & alijs prædictionibus: quæ ſi leuiſsimas illas inſpectiones, & volatus tantum, vt vulgus exiſtimat, continuiſſent, nunquam profectò eas diuinus Plato inter humanæ prudentiæ artes cõnumeraſſet: nunquam tanto honore dignatos eſſet huiuſce profeſsionis homines perſpicax, eruditaq́; antiquitas, vt temerariũ putaret ijs inconſultis publicũ, priuatum'ue

aliq

aliquod negotium auſpicari. Habebant Romani libros ſuos Sibyllinos, in quibus legebantur fatales Reip. mutationes. Habebant deſcriptiones rerum reconditarum, quibus in expugnandis hoſtibus, in euocandis obſeſſarum vrbium numinibus, in excitando tutelari Deo, in placandis deniq; ſuperis opportunè vterentur. Circunferebantur priſcis illis temporibus trigeſies ſexies mille, quingenta, atque viginti quinque Mercurij volumina, in quibus perfectè demonſtrabantur quæcunque de intelligibili eſſentia, de prima vnitate, de empyreis, æthereis, & cæleſtibus numinibus, de taciturno cultu primi exemplaris, quod Icthon appellāt, de Deo Emeph,

de opifice intellectu, de dæmonibus, de cœlesti potestate, de vaticinijs, & reconditis naturæ facultatibus in dubium reuocari poterant. Obseruauit secuta ætas dogmata Salaminiaca, quòd breuissimam partem Mercurialium ordinationum continerent. Et prophetæ Bitis interpretationes amplexata est, qui Dei nomen discurrens per vniuersum, Ammoni regi inuocandum, ac venerandum præbuerat. Extabant tunc temporis Philolai Pythagorici operа, quibus eruditior factus Plato, cum plurima de immortalibus animis, & rerum dispensatione conscripsisset, perpetuum ex diuinitate nomen sibi comparauit. Prostabant Thaletis,

Parm

Parmenidis, Melissi, Anaxagoræ, Empedoclis, Heracliti, Anaximenis, Democriti, Eudoxi, Archytæ, Pythagoræi Paronis, & aliorum, Mathematicæ, Physiologicæ, Metaphysicæ, aliæq; de abditissimis rerum causis speculationes. Atque vt prophetas nostros, & Hebræorum doctores omittam, vigebant olim apud Chaldæos, & Aegyptios mathematici, qui non solùm circa Astronomica, & cætera quæ dicuntur mathemata, versabantur, verumetiam somniorum artem publicè profitebantur, atque exercebant. Cuius peritissimos fuisse Iosephum, & Danielem testantur sacræ literæ. Temporibus Hippocratis in

pretio erant & augures, & conte-
ctores, partim qui naturalibus
experimentis intenti essent, par-
tim qui diuina prodigia inter-
pretarentur. Somniorum vim
Platonici omnes philosophi de-
mirati sunt, de hac multa literis
prodiderunt, hanc etiam ad ca-
ptanda secundum quietem ora-
cula vsurparunt. Antiquissimus
ille Hermes Trismegistus so-
mnia non solum obseruauit, sed
etiam quo pacto vera immitte-
rentur docuit, artificiales etiam
commendauit quasdam imagi-
nes, quæ dormientium capitibus
suppositæ oracula per somnum
redderent. In Christiana philo-
sophia multas nos obseruamus
diuinas per quietem inspiratio-
nes, multas allegoricarum visio-
num

num interpretationes. Quapropter mirari ſubit peruerſitatem noſtrorum hominum, qui ingenita quadam peruicacia omnia demoliri conantur, quæ ſupra vulgarium ingeniorum captum ab alijs demonſtrata ſunt. ideoq́; nec veterum parcunt prædictionibus, atque libros Sibyllinos ſuſpectos habent, cæteraq́; antiquorum myſteria auerſantur, & neque ethnicorum, neque Chriſtianorum philoſophorum autoritate franguntur, vt ſomnia ſaltem minimè contemnenda eſſe intelligant. Fortuitum neſcio quem euentũ, Ariſtotelico more, aſsignant aliqui. Sed hi non vidẽt pio philoſopho indignam eſſe Ariſtotelis ſententiam. Negat enim diuinitus immitti ſo-

mnia, quòd ea quæ nos diuina eſſe putamus, non magis doctiſſimis, ſapientiſsimisq; euenire ſibi videantur, quàm cuiuis ex infima, rudiq; plebecula. Huius autoritate factum eſſe puto, vt multa de ſecretis naturæ à veteribus illis edita opera, longæua incuria intercepta, perierint, quòd Ariſtotelicæ doctrinæ plus iuſto addicti ſuperioris æui homines, quæ naturales effectus tranſgrederentur non reciperent: paucisſimi verò eſſent, qui conceptas à Platonicis ſecretiores, & perennes cauſas tuerentur. Quorum tamen beneficio haud negligenda quædam veteris, occultæq; philoſophiæ commentaria in manus noſtras perueniſſe cõgratulandum
eſt.

eſt. Nam reliqua, vt credibile eſt, propter repugnantes, præualentesq́; alias ſectas, ab interitu vindicare non potuerunt. Seruatus, & quaſi è manibus hoſtium ereptus eſt Artemidori liber de Somnijs. In lucem noſtro ſeculo reuocata ſunt permulta Hippocratis, & Galeni opera: inter quæ naturalibus ſomnijs dicata quædam habentur. Extat Syneſij tractatus de hac materia. Extant quædam Iamblichi, & aliorum Platonicorum veluti capita. Verùm ea non integra, ſed mutila omnino: in quibus artis ſeminaria quædam, artem reuera nullam agnoſcere queas. Poſteriores quamplurimi, & hi quidem in omni rerum inquiſitione negligentiſsimi, ab

opinione vulgi ignauiæ ſuæ rationem petentes, ſomnia, nihil aliud quàm vana rerum quæ interdiu geruntur, ſimulacra eſſe dixerunt. Quidã ſuperiore quadam intelligentia moniti, nocturnos animi conceptus partim naturalibus, partim diuinis cauſis acceptos retulerunt. Verùm cum ea quæ ipſis aut conueniens ſimilitudo, aut rerum euentus dictaſſet, commẽtari cœpiſſent: factum eſt, vt ex fallaci experientia, dubijsq́; coniecturis, artem quandam ridiculam conflarint. Qualem apocryphus Daniel, & quidam Salomon, & autor interpretationis ſomniorum ſecũdum Perſas, Indos, & Aegyptios confeciſſe leguntur. A quibus cum nos illudi cognoſceremus,

nec poſsibile eſſet ex Artemidoro, Syneſio, & Academicis artem conſequi, Hippocrates verò, & Galenus naturalia tantùm perſecuti fuiſſent: cœpimus olim tentare an quid inuenire poſſemus, quod artem perficeret: an in aliorum ſcriptis ſuperſtitioſum aliquid, confuſum'ue reperire, quod perpurgandum eſſet: an certa methodo rem tradere, qua perſuaderemus ignauiſsimis iſtis hominibus hãc philoſophiæ partem non minus eſſe certam, quàm ea ſit medicinæ portio, quæ à grecis σημειωτικὴ uocatur. cui & tota ſubiacere uidetur, quemadmodum Hippocratis, & Galeni libri de hac materia, teſtantur. Id hoc libello an effecerimus, tuum erit iudicare.

certè

certè minimè puto artem ante me præſtitiſſe quenquam. Audiuiſti verò tu aliquando ex me, & familiaribus meis, qua ætate, nimirum vix pubertatis annos egreſſus, quo tempore de editione nihil vnquam cogitaueram. Nunc verò poſtquam libellus Horatianum illum nouenarium adimpleuit, tibiq́; ſuperioribus annis arriſit, æquum eſſe putaui eum ad te mittere: ea lege tamen, vt ſemel adhuc totum diligenter perluſtres, & ſi editione dignum videris, ſub tuo nomine in publicum ire patiaris: ſin minus, cum priuatis tuis Muſis, tanquam amici munus, colludere permittas. Deſyderabis hic, ſcio, dictionis ornatum, & elegantiam. cuius cum illa ætate ſatis

ſatis eſſem ſtudioſus, tamen rei ipſius magnitudine, & perplexitate diſtractus, coactus fui partim inueniendæ, partim diſponendæ confuſæ materiæ, magis quàm ſplendori orationis inſeruire. Nec à philoſophica conſuetudine hoc abhorret, ſimplici quadam, & minimè fucata narratione rei veritatem exprimere. Quanquàm & nos dedimus operam, vt ſi non eleganter, latinè tamen, quantum materia poſtulabat, loqueremur. Quod ſupereſt, ſi quid in legendo occurrerit, quod iuueniles illos annos redoleat, id æqui & boni conſule. Neque enim maturæ ætatis partum edimus: immaturum verò indignè pateremur domi contabeſcere, quem alijs eiuſdem ar-
gumen

gumenti collatum maturitatem quandam præ ſe ferre nemo negabit. Tu quid iure faciendum ſit videto, interim dum ego Criſes partim ad Pythagoricam doctrinam, partim ad aſtra reuoco.

Vale.



AVGERII FERRERII TOLOSATIS MEDICI LIBER DE SOMNIIS.



VI post veteres philosophos diligentes rerum inquisitores, de Somnijs acutè aliquid tradidisse se arbitrati sunt, tria somniorum fecerūt genera: vnum vanum, alterum naturale, tertium vatidicum. Vana ea appellantes, quæ quis interdiu pertractasset, per familiares'ue sermones conseruisset, aut cogitando vigilans admisisset, per quietem

recolligere: Item chimæras, centauros, ſcyllas, aliaq́; id genus, quæ in natura nunquàm extiterunt, intueri. Naturalia, quæ corporis noſtri habitudinem, conſtitutionemq́; ſequerentur. Vatidica, quæ è diuinitate quadam profecta, futurum aliquid portenderent, aut præteriti vel præſentis nos commonefacerēt, quod ad mores, eruditionem, fortunas´ue noſtras, aut Reipub. ſtatum pertinere videretur. Vatidicis illi & naturalibus præſagiendi vim quandam attribuebant: quæ verò vana appellabant, nihil omnino ſignificare crediderunt. in quo parùm rectè ſentire mihi videntur, cum & ipſa ſuas habeant ſignificationes, quēadmodum docuit Hippocra

Vana existimata somnia naturalia sunt.

pocra

pocrates. Nam quòd ſimilia his quæ pridie quis viderit, cogitarit, vel pertractarit ſomniet, ſanitatem oſtẽdere tradidit: quòd animus diurnis cogitationibus & negotijs inſiſtens, nec plenitudine, inanitioneúe, nec vlla alia re extrinſecus adueniente ſuperetur: monſtra etiam difformia, ſimiliaq́; imminentis morbi fidem facere. Vatidica verò credidiſſe aliqua Hippocratem, vel ex initio libri ſui de inſomnijs manifeſtũ euadit: vbi de ijs aliquos peculiarem quandam artem tenere refert, eaq́; ferè nunquam errare. Naturalia verò maximè ipſe perſecutus eſt, quæ ſanitatẽ, quæ ægritudinem, quę deniq; corporis noſtri cõſtitutionẽ indicare habeant: vbi va-

na alijs credita ſub naturalibus comprehendere maximè viſus eſt. Quanquàm eorum probatiſſimi quiq; autores, & fide digniſſimi mentionem ſæpe fecerunt, Nam, vt interim geminas illas ſomniorum portas omittã, cæteraq́; poëtarum ludicra, apud Plinium legitur à vino & cibis proxima, atque in redormitione, vana eſſe viſa propè conuenire. Et Plato in politia, huncq́; ſecutus Cicero, vana quædam admiſiſſe videntur: non tamen alia de cauſa, quàm quòd ob moleſtantem crapulam non facilè ſit ea intelligere. quod & ex Socratis diſſertatione apertè demonſtrarunt, dicentis, animam paſtu & potu obſtupefactam exultare, & immoderatè iactari, itaq́; per-

turb

turbata, ac confuſa cernere: quo ſermone in huiuſmodi inſomnijs diuinitatẽ nullam agnoſcentes, naturalem tamen eorum ſignificationem nõ ſuſtulerunt, cum cibo & potu cenſuerũt aggrauari naturã. Multa quidem eſſe fatemur, quæ nudo eo quo per quietem viſa ſunt modo accepta, nihil ferè in ſe veri continent. vt cùm quis ſpeculum intueri ſe ſomniat, & ferrum tractare, quæ non adſint, & opera vigilantis exercere, cũ dormiat: quæ ſi idcirco vana fecerimus, quid vetabit quin & eo quidem pacto naturalia, & quæ vatidica vocantur, ferè omnia vana appellare liceat? & Pharaonis aſpernari ſomnium, quòd neque ſuper fluuiũ ſtetiſſet, neq; ſeptem *Somnia figurata.*

boues, aut ſpicæ adfuiſſent, quas videret? Neque ergo quod figura aliqua obumbratum eſt, ſtatim vanum, falſum'ue cenſeri debet, quando & oracula ſic ſæpenumero reddita teſtantur Eſræ, Danielis, Iſaiæ, aliorumq́; prophetarum, ethnicorũ etiam autorum libri. Verùm inquiramus paulò diligentius quæ ſunt illa, quæ vana meritò nuncupari debent. Nam de diurnis actionibus, & figuratis ſomnijs iam dictum eſt. Fit ſæpe ex diuerſitate eorum quæ pertractãtur, & ſenſibus obijciuntur, variarumq́; affectionum corporis mixtione, vt vanum, & omnis ſignificationis expers videatur inſomnium. Vt vidit quis alium quempiam capite truncari, paulò pòſt in me-

Somnia mixta.

dia

dia ſpectantium turba videt patrem, apparuit ei in ſomnijs patrem capite truncari, quod totũ à diurnis actionibus depẽdebat. Et ſomniauit aliquis ſe volare, mox in ſterquiliniũ cadere: quorum alterum humorũ inopiam, alterum excremẽtorum, quæ in inteſtinis continentur, abundantiam teſtabatur. Et alius quiſpiã ſpirãdi difficultate, & dolore vẽtris laborans, quòd paſtorem interdiu vidiſſet canes abigentẽ, & mulierculam ſpicas colligẽtem, ſomniauit ſe mare ventis agitatum per anguſtum ingredi: vbi canes intueretur qui ſpicas colligerent: ſpicæ autem quædam muliebri forma, quædam paſtores ſibi videbantur. Quod prima fronte quis non iudicaret

vanum? Cum tamen partim ex diurnis visis, partim ex affectionibus corporis constet fuisse conflatum. Atque huiusmodi somniorum significationem ex dictis Hippocratis facilè est colligere, dicentis in genere, somnia perturbata, & quæ inter se non conueniunt, corporis indicare perturbationem. quanquàm si quis ea particulatim examinet, ac discernere norit, exactiorem eorum per singula membra habiturus sit intelligentiam, ut hîc, mare ventis agitatũ ingredi, dolores ventris significabat: per angustum verò, spirandi difficultatem: reliqua, his quæ interdiu visa fuerant, correspondebant. Videamus verò quid super his philosophi. Animam terreno hoc

vinculo alligatam duplici vita viuere vniuersa censet Platonicorum schola. Vna quæ communis est cum corpore: altera ab omni corpore separabili. Et, vt loquitur Proclus, Alcibiades dupliciter intelligitur, & ut simpliciter anima, & vt anima vtens corpore. Quando vigilamus, vtimur, inquit Iamblichus, plurimum vita quæ cõmunis est cum corpore: præterquàm si quandò penitus separamur ab eo, propterea quòd vel intellectu quid assequamur, uel puris rationibus cogitemus. Sed in dormiendo penitus solui possumus velut à vinculis adhibitis animo, atque uita à generatione separata tunc vti. Quæ vna mihi videtur somniorum species, cum

ſcilicet anima ſuapte natura omniſcia, ſe à corpore, mundaniſq; rebus lumen ſuum obtenebrantibus ſemouet, & extricat. Cum autẽ ex incorruptibili hac vita tranſit ad alteram, vel ea quæ ſunt corporis curat, vel quæ circa corpus nimirum actiones, & præteritas cogitationes, & quæcunque ſenſibus obijciuntur. Quid enim reſtat aliud, quod curare, aut meditari poſsit? Cum igitur neceſſe ſit animam quieſcente corpore, vel præteritis cogitationibus, actionibuſq; inſiſtere: vel vniuerſum corpus peragrando, conſtitutionis noſtræ formas excipere: vel corpore ſolutam quodammodo, diuinæq; ſuæ puritati reſtitutam apud ſe contemplari: quid horum

Somnia nulla sũt uana.

rum

rum vanum censebimus? Diurnas'ne actiones, aut constitutionis corporis formas quasdam, & similitudines redditas, quas nobis explicuit Hippocrates, & medici quotidiano vsu experiuntur? An ea quæ corpore libera, diuina ipsa, & cœlestis cognitionis particeps viderit? nisi fortasse quædam à malo genio inspirari dixerimus: de quibus postea. Nam quod quidam ostendere conantur, maximum vanitatis esse argumentum, quòd in ijs etiam quæ vera & diuina putamus, non pauca sæpe deprehendantur, quæ nihil ad rem faciunt: ea nos nõ aliunde ferè procedere arbitramur, quàm è vinculo animæ & corporis. Si enim diuina contempletur anima, nõ

potest

poteſt tàm ijs inhærere, quin ob commune vinculum, quæ corporis ſunt non pauca inſerat. Similiter cum corporis partes perreptat, fit vt diuina ipſa nonnihil diuini intermiſceat, aut rerum quæ interdiu geruntur, quarum & ſpecies, vt dictum eſt, recipere ſolet. Et ſi Artemidoro credimus, quemadmodum natura non neceſsitatis ſolius gratia omnia facit, ſed etiam ornatus: ſic anima ipſa multa ornatus gratia ſerijs admiſcet. Inſtabit vanitatis ſomniorum aſſertor, præter hæc eſſe ſerpentem illum antiquum, humani generis hoſtem, ſeductorem, fraudulentum, qui perpetuò vigilat, vt nos ſuis laqueis irretitos captiuet. eaq́; de cauſa non ſolum in-

terdiu, ſed & noctu, quieſcente corpore, animæ falſis quibuſdã imaginibus illudere, & inſidiari. Quæ tamen ſignificatione carere mihi non videntur. aut enim imagines illas è natura noſtra deſumit, aut ab his quæ aliquando egerimus, vel cogitauerimus. Quorum enim naturas ad libidinem propenſas eſſe cognoſcit, his eximias puellarum formas, ſaltationes, riſus, geſtuſq́; amabiles, muliebriaq́; cuncta, & venerea per noctem obijcit: ijs qui de diuitijs cogitant, offért lucrum: quibus ludi placent, ludos etiam dat in ſomnijs: diuinatoribus, diuinationum artes: ſuperſtitioſis, ſuperſtitiones: iracundis, pugnas: fatuis, fatua: timidis, & melancholicis, monſtra horrenda &

Somnia à cacodæmonibus immiſſa uana non ſunt.

territ

territantia. Quæ quis non videt naturalia eſſe? Aliquando verò vt ſynceræ vitæ homines à propoſito deterreat, alijs modis ſolet eos adoriri. Caſtis venerem, ſobrijs luxum, humilibus ſuperbiam quandam ſi non licitam, ſaltem tolerandam fraudulenter perſuaſurus, bona conſilia, pios actus, ſanctas cogitationes rationibus quibuſdam, & exẽplis peruerſurus, idq́; potiſsimum cum anima hoc vitæ genus apud ſe meditatur. Solet enim ille accuratè perpendere cui negotio vacare velit anima, atque ex eo cui ſe applicarit, ſua retia, ſuos dolos præparat & intendit. Adde quòd pro oraculis ſæpe dat mendacia, cum animus erectus, & quodammodo corpore liberatus diuinitatis

tatis ſuæ ſtudio tenetur. Fitq; vt quod à Deo, vel bonis angelis nos audire putamus, id à patre mendacij proficiſcatur, qui ſe in angelũ lucis transformarit. Atq; hæc ſanè vt falſa plerunque conceſſero, ità vana minimè. Non enim ſemper attendo vtrũ quod quis ſomniauit verum ſit, necne: ſed an aliquid notatu dignũ per id ſignificetur. Significantur autẽ nobis per huiuſmodi ſomnia, diaboli inſidiæ, ſignificatur inſidiatorem illum cacodæmonẽ in angelum lucis transfiguratũ eſſe, cui iam reſiſtendum ſit, vt nos in eundem ignem, in eadem tormenta, quibus ille torquetur, præcipites dare velimus. Quæ ſi, vt & alia non pauca, probè ſemper diſcernere nequiuerimus,

mus, idcirco tamen vanitas hæc inducenda non eſt: ſed culpanda inſcitia noſtra, vel potius imbecillitas, quæ ad tantæ rei cognitionem peruenire nequeat. Nec nos hoc loco exactè diſcerni poſſe omnia aſſeueramus, vt nec integram omnium explicationem pollicemur: ſed & admonemus quæ ſint, quorum interpretationem, & ab alijs diſcrimen non facilè ſit aſsignare. Aliorum verò artem quandam perſcribimus, iuxta ea quæ monumentis antiquorum continentur, & ratione, experientiaque per nos comprobata ſunt. Diurnas igitur actiones, ea inquam, quæ per vigiliam audimus, videmus, agitamus animo, & exercemus, ſub naturalibus ſomnijs, cum Hippocra

Somniorum diuiſio.

pocra

pocrate, comprehendentes, Somnia in Naturalia, & Diuina ſeu Vatidica, & quæ à malis dæmonibus inſpirãtur, diuidimus. Naturalia vel ſunt diurnæ ipſæ actiones, vt diximus: vel conſtitutionis corporis propria quædam indicia, in ſimilitudine quadam eorum quæ vigent in corpore, vt cum cholericus ſomniat ignes, pituitoſus aquas, melancholicus monſtra & lemures, vel citra ſimilitudinem, vt cum dormientes nos dormire putamus, iacentes iacere, ægrotantes ægrotare. Huius generis erat & illud P. Cornelij Ruffi, qui conſul cum M. Curio fuit. Dormiens enim viſum oculorum amiſit, cum id ſibi accidere ſomniaret. Diuina tribus modis

Naturalia.

Diuinorum tria genera.

 fieri

fieri docuit nos Posidonius.
1 vno, quod peruideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur. scilicet cum diuinitatis suę studiosus seipsum erigit, & corpore quodammodo velut à vinculis adhibitis animo explicat, vita à generatione separata vtens. Vita inquàm, à toto corpore separabili, separatáq;, siue intellectuali, siue diuina. Atque hic modus, status animæ in se redeuntis appelletur. In se inquam, id est, in rationes seminales, & intellectuales, penes potentiam suam túm effectiuam, tum etiam cogniti-
2 uam. Dependent autem hæ rationes à rationibus quæ sunt in diis. Altero, quòd plenus aër sit immortalium animorum, in

quib

quibus tanquam inſignitæ notæ
veritatis appareant:quiq́; ſimpa-
thia quadam, & conuenientia,
quam habent alij cum alijs ho-
minibus, multa admonent, do-
cent, conſulunt, reuelant. Nunc
voce ipſa,ſuaq́; præſentia:nũc ve-
ras formas ob oculos animæ po-
nentes tantùm, nec apparentes.
Quapropter fit ſæpe vt hæc ab
anima in ſe redeunte proficiſci
arbitremur. Sed hoc artem non
confundit.Eadem enim interpre
tandi methodus. Tertio, cũ ipſi 3
dij, ſupercœleſtesq́; angeli cum
dormiẽtibus collocantur,& ora-
cula inſpirant:aliquando loquen
tes nobis,vt cum angelus Domi-
ni Ioſeph de retinenda ſponſa
admonet: aliquando veras for-
mas tantùm animo obijciẽtes,la-

tentes ipſi, nec ſe demonſtrantes. Quale legitur Eſræ ſomnium ab angelo Domini figuratum lib. IIII. cap. XI. de Aquila cui inerant duodecim alæ pennarũ, & capita tria, aliaq́; multa: & cap. XIII. de vento è mari exurgente, conturbante fluctus, & cætera infinita. Diuina autem hæc omnia vel fiunt per ſimilitudines quaſdam, & ænigmata, vnde & allegorica appellata ſunt: aut citra vllam ſimilitudinem, quæ ſpeculatiua vocant. Ex

Diuinorũ ſubdiuiſio.

1 allegoricis ſunt, quæ in ſtatu animæ in ſe redeuntis ſomniauit Hecuba, facem ſe parere, quæ Troiam combureret, enixa paulò pòſt Paridem Troiæ exitium,
2 & quæ ab immortali quodam animo aëreo, genio'ue ſub perſona

na fœminæ audiuit Socrates,
Tertia te Phthiæ tēpeſtas læta locabit,
quod quietem per proximam
mortem illi ſignificabat. Et
quæ oraculo accepit Nabucho- 3
donoſor, ex ſancti cuiuſdam è
cœlo deſcendentis ore, procla-
mantis, ſuccidendam arborem,
& præſcindendos ramos eius,
excutiendaq́; folia, & diſpergen-
dos fructus, donec ſeptem tem-
pora mutentur, germine tamen
radicum præſeruato: quod futu-
rum de ſe Dei iudicium ſignifi-
cabat, vt ſuæ conditionis imme-
mor, regno, hominumq́; ſocie-
tate careret, ac tanquam beſtia
cum brutis & feris animantibus
habitaret, & fœnum vt bos co-
mederet, reſeruato tamen regno
poſt ſeptem annos, cum culpæ

suæ memor diuinæ maiestatis
Speculatiua. potentiam agnouisset. Ex specu-
latiuis sunt quæ sequntur. In sta-
1 tu animæ in se redeuntis, naui-
gans quispiam naufragium sibi
facere visus est, & dum sic affe-
ctus esset, ita contigit. Postquàm
enim somnus ipsum reliquit, na-
uis penitus peribat: ipse verò
2 cum paucis vix seruatus est. Et à
genio admonitus est Decius, bel-
lo Latino eos victores futuros,
quorum dux in prælio caderet.
3 Et oraculo accepto in somnijs,
Ioseph accepit puerum, & ma-
trem eius, & aufugit in Aegy-
ptum. Atq; hæc est naturalium,
& diuinorum æqua partitio, nisi
adhuc facilioris doctrinæ gra-
tia, admonendum videatur, ad
naturalia referēda esse, quæcūq;
à med

à medicamentis, corpus, virtutemq́; imaginatiuam alterantibus causantur. Cuiusmodi sunt quæ ab esu fabarum, lentium, porrorum, & potu vini noui, seminis pycnocomi, smilacis leuis, dorycnii, grauia, & tumultuosa efficiuntur. Et quæ per appensa quædã, vel supposita, ceu incantamenta, somniare cogimur, vt de corde simiæ creditur, quod suppositum capiti dormientis, videre faciat res syluestres metum inferentes. Prudens omitto quæ de chamęleonte, & aliis monstris celebrauit Democritus, ostentãt adhuc magi: ne si plura commemorem, superstitiones huic meo opusculo inserere videar. Superest tertium genus à malo genio dependens, quod totum ex alio-

Somnia quæ à malis spiritibus ĩmittuntur.

rum imitatione cõſtat. Aut enim formas ſuas ex diurnis actionibus, corporisúe ſtatu deſumit: aut animæ in ſe redeunti falſis quibuſdam imaginibus illudit, & inſidiatur: imaginibus inquam deſumptis vel à natura actionibusq́; ſomniantis, vel ab aliis quibuſdam extrinſecis, & ignotis, qualia multa huiuſmodi præſtigia, & ſimulacra egregiè fabricare nouit, & opponere animo veritatis, & diuinitatis ſtudioſo. Aliquando artificioſis fraudulentisq́; ſuſurris animam à bene viuendo reuocare contendit: quod genus ſub aliis comprehendi poterat, verùm vt facilius artem traderemus, ſeiunximus. Simulat etiam immortales illos aëreos animos genios

niosúe:& in angelum lucis trāſ-
figuratus diuina mentitur ora-
cula.plerunque etiam vera quæ-
dam inſinuat. quæ quia vera, ad
diuinorum ſomniorum formam
quandam referri debere cenſeo:
quando & bonitatem quandam
tunc præ ſe ferre videntur. So-
mniorum nullum ſupereſſe ge-
nus arbitror, quod ſub his tri-
bus modis comprehendi nō poſ-
ſit. Subdiuiſiones alias aſsignare
ſuperuacaneum mihi viſum eſt,
quòd artem non tam iuuare,
quàm confundere videantur: ut
cum vatidica quædam priuata
faciunt, quædam publica, quæ-
dam propria, quædam aliena,
quædam generalia, quædā mul-
ta per pauca, pauca per multa ſi-
gnificantia, & cætera, quæ cu-

riosè nimis persecutus est Artemidorus. Hoc super iis adnotasse sufficiet, somnia quædam soli somnianti competere, quædam alteri cuipiam soli, quædam somnianti & alteri simul, quædam aliis quibusdam pluribus & non somnianti, quædam illis & somnianti, quædam vniuersæ Reipub. quædam & somnianti & Reip. simul. Sed hæc tam minutula persequi tantum abest vt suadeam, vt extremæ dementiæ esse putem in his diutius immorari. De mixtis & compositis nō est quòd sermonem vltra producamus, cum sub simplicibus comprehendi soleant: & à potiore natura denominationem accipiant. Composita autē hîc voco, naturalia multa inter se com-

Somnia mixta et cōposita.

plica

plicata: Naturalia diuinis intermixta: Diuina inter ſe multa: & naturalibus, & diuinis inſertos cacodæmonum dolos. Quod ſequitur expediamus, quo ſcilicet diſcrimine notentur diuina à naturalibus, hæcq́; ab his quæ à falſis ſpiritibus immittuntur. In quo plurimum laboraſſe conſtat antiquos, recentioresq́; philoſophos. Nec dum tamen quod conati ſunt præſtiterunt, tam difficilè eſt ire in penetralia naturæ. Nec verò idcirco maiorem rerum intelligentiam mihi vendico, qui ſuper tãtos viros quippiam maius aggredi videor: ſed quæ illi aut ob varias in aliis diſciplinis occupationes, aut propheticæ ſcripturæ inſcitiam abſoluere non potuerunt, tanquam

quam pueri in collo gigantis, indicare conabimur. Certiſsima igitur diſcernendorum ſomniorum via à partium remotione aggredienda eſt: ut ſi quis ſomnium viderit, nec illud naturæ ſuæ, aliis aduerſantibus indicijs, accommodare queat, nec ſimile quippiam audierit, viderit, agitarit animo, vel pertractarit, certum erit naturale minimè illud eſſe, ſed diuinum, aut de genere eorum quæ à malo genio proficiſcuntur. Hæc verò diſcernemus, ad ea quæ ſupradicta ſunt attendentes. Cum enim fiant vel à formis, à ſomniantis actionibus, natura'ue tractis: vel quòd dæmon ille inſidiator fraudulentis ſuſurris mutare ſanctum vitæ genus, bonas cogitationes

Diſcernẽdorum ſominorum ratio.

Somnia à malo genio.

cor

corrumpere nititur: animæq́; in ſe redeunti falſis quibuſdam ſimulacris inſidiatur: aut quòd immortales aëreos illos animos ſimulat:& in angelum lucis trãſfiguratus diuina mentitur oracula: Primum genus ad naturalia ſomnia referri conſtat. Alterum diuinum non eſſe vel ex hoc agnoſcimus, quòd æquum ac bonum euertere conatur. Quod neque dii facerent, neque per immortales illos genios tale quid meditaremur, neq; anima ipſa ſibi id perſuadere tentaret, vt pote in diuinis ſomniis corpore explicata, & diuinitati copulata, quapropter nequitiæ minimè conſentiens. Tertium, quo animam in ſe redeuntem præſtigioſis quibuſdam formis illudit,

Naturales formæ.

Fraudulenti ſuſurri.

Præſtigioſæ formæ.

& à

& à veri contemplatione auocat, ex hoc dignoſcimus, quòd formæ illæ ſi ex ſomniantis temperatura & actionibus dependeant, ad naturalia ſomnia iam relatæ ſint. Sin ex extrinſecis quibuſdam & ignotis, vnde anima talia monſtra ſibi confingeret, quæ ex ſe nihil præter diuinitatem, & ea quæ in corpore, vel quæ circa corpus, nimirum actiones, & cogitationes complecti poteſt? An verò hæc eſt bonorum natura dæmonũ fallacibus imaginibus fallere animam, qui boni, puri, & veri, nihil præter bonum, purum, & verum inſpirare queant? At cur eas mitterent? Non vt demonſtrent eſſentiam ſuam, atq; potentiam: Nam illæ ab hac ex tota natura deficiunt.

ciunt. Non etiam ad intuentium vtilitatem: Quæ enim vtilitas eſt ex mendacio ſimul atq; deceptione? Quartum genus, quo bonos illos aëreos dæmones ſimulat, ex apparendi conſuetudine colligitur. Boni enim dæmones cum diis & angelis hoc commune habent, quod non apparẽt phantaſtico modo, ſed proprio prorſus, & vero: ſpiritus vero mali phantaſtico, fallaciq́;. Deus, angelus, dęmon bonus, docent hominem, cum apparent, quæ, qualis´ve re vera ſit eorum eſſentia. hoc eſt, primò de ſeipſis vera prædicant, ſuamq́; eſſentiam præcipuè contemplantibus patefaciunt, nihil vltra vel citra veritatem loquentes, demonſtrantes´ue. Mali ſpiritus in ſimilitud

Nota bonorum et malorum dæmonũ.

9

litud

litudinem bonorum ſe transformantes, eſſentiam ſuam celant, ſed iactabundi veniunt, & ſuprà quàm ſunt ſibi arrogant. Iactabunda autem hæc arrogantia nullo modo propria eſt veris ſpiritibus, atq; bonis. Boni ſpiritus cum apparent, animi corporisq́; affectus expellere nituntur: mali nec id curant, aut ſi conentur, præſtare nullo modo queũt. Boni ſpiritus initio terrentes, ſecuritatem mox præſtant, abeuntesq́; ſatisfaciunt animo. Mali anxios & in viſione nos tenent, & abeuntes magis dubios relinquunt. Eſt inſuper malorum natura dæmonum ſibimet inconſtans, inſtabilis, ſecumq́; diſſidens, aliàs alia ſuadens. Superiorum verò natura ſibi conſtat aſ-
ſidue,

ſidue, eundemq́; ſeruat ſemper in actione tenorem. vbi verò boni iſti genij non apparent, ſed viſionem tantum inculcant, eodem modo ferè ſe habēt ſomnia, ac in ſtatu animæ in ſe redeuntis, de quo iam diximus. Quod ad quintum genus attinet, an oracula ipſa à Deo, aut à patre mendacij diabolo proficiſcantur, impoſsibile eſt omnino abſque dei ope intelligere. Quæ enim à Deo tranſmittuntur in ſomnis, omnino prophetiæ ſunt. prophetiam autem non arte aliqua, non induſtria, non labore, ſed dei tantum beneficio cōſequimur. Ceu Petrus Apoſtolus epiſtola ſecunda admonet, dicēs, propheticam ſcripturam non eſſe priuatæ interpretationis, & voluntate ho- *Oracula.*

minis nõ esse allatam olim prophetiam, sed à Spiritusancto inspiratos locutos sanctos Dei homines. vnde non paruæ mihi videtur esse gratiæ intelligere Dei vocem, & diaboli susurrum. Nõ est sine spiritus sancti gratia huiusmodi vocem & susurrum discernere. Quanquàm secretiores philosophi multa huiusce rei signa tradere conati sunt. qualia Iamblichus libro suo de mysteriis Chaldęorum, Aegyptiorũ, & Assyriorum, plurima protulit, in hunc modũ: Somnia, inquit, diuinitus missa, veniunt vel inter somnũ atq; vigiliam, vel in ipsa vigilia. Tunc breues audiuntur voces, quid agendum sit admonentes, & aliquãdo spiritus quidam non corpulentus, nõ tra-
ctabi

ctabilis se tacentibus circunfundit, qui tamen non perspicitur, sed alio quodã sensu, & animaduersione, quæ in consensu percipitur, impetu quodam ingrediens, & se vndiq; circunfundens absq; contactu, atq; mirifice passiones animi corporisq́; expellit. Aliquando verò lumen syncerũ quietumq́; fulget (sub quo visus clauditur) animæ patens: sed alij sensus interim peruigiles sunt, persentiuntq́; quomodo dij in lumine se ostendunt: & quæ illi loquuntur, aguntq́;, cõtinuata animaduersione percipiunt. Perfectius verò id totum discernitur, quando visus quoque perspicit, atque intellectus corroboratus quæ fiunt, assequitur, & qui spectant similiter commouentur.

Contingunt verò quando somnus noster est grauedo quædam capitis, vel inclinatio, & occupatio visus, vel medium quiddam inter vigiliam atque somnum, vel excitatio subita, vel ipsa vigilia. & alibi sparsim. Quando, inquit, diuinitus mittuntur somnia, neque reuera dormimus, & assequimur animaduertimusq́; clarius, quàm consueuerimus vigilantes: quod efficere in manu malorum dæmonum non est. In oraculis cum dii apparent, salutaris quædam diuinitas, eademq́; immutabilis magnitudine, forma, figura, actione, cum quiete & ordine, aut moderato, ordinatoq́; motu se iacentibus circunfundit inæstimabilis, incomparabilis, admiran

miranda, ſupra modum delectans. Deorum actiones, effectusq́; velociores ſunt, quàm intelligentia deprehendere poſsit. Deorũ imagines plurimo ſplendore coruſcant. Deorum ignis omnino aut ſtabilis eſt aſpectu: aut ſtabiliter mouetur. Sed hæc inæqualiter, pro deorum differentia. Siquidem ſub ipſis & archangelos, & angelos,& eos qui ex hac mortali vita bene merendo, magno Dei beneficio, æternam beatitudinem conſecuti ſunt, comprehendimus. Inter hæc verò, & ea quæ à bonis genijs dependent, hanc obſeruamus differentiam: quòd in his, ſicuti in oraculis,ſenſus ita peruigiles non ſint, licet non tam ſopiti vt in aliis ſomniis. neque

paſsiones corporis & animi tam manifeſtè abiguntur, quanquam & in eis vix ſentiuntur. Præterea aërei immortales illi genij non tam admirandi apparent, quàm metuendi: eorumq́; imagines mutabiles ſunt magnitudine atq; forma, actionesq́; celeriores apparent, quàm ſint effectu, atq; veritate. Turbidiorq́; eſt eorum ignis, & inſtabilior aſpectu. Sed hoc commune eſt vtriſque: Dijs inquam, & bonis iſtis dæmonibus, nolle fallere, & ſecuritatem præſtare animo. Verùm vbi dii non apparent, ſed viſionem tantum inculcant, ſentit manifeſte animus circa ſe vigentem ſupremam illam diuinitatem, ac tanquàm præſentem admiratur, ſtupet, veneratur,

ratur, & adorat. Hæc ſunt quæ philoſophi potiſsima dignoſcendæ diuinitatis argumenta proferunt. Quibus haud neglectis, certiſsimum tandem hoc habeto indiciũ ſomnii diuinitus à Deo inſpirati, cum anima cognitum habet ſe diuino afflatam eſſe lumine. Quando idipſum diuinis oraculis ſemper adeſt, declarans quale ſit Dei mandatum. Cum enim dubij nimis verſamur in his viſionibus, nec planè per ſomnũ cuiuſmodi ſint intellexerimus, eas à patre mendacii verius proficiſci ſuſpicabimur, quòd deſit diuinum illud lumen mentem viuificans,& ad rectum veritatis iter dirigẽs. atq; has ab illis expectare ſolemus,qui multa vitę ignauia,itẽ ficta bonitate ar-

mati, de rebus humanis deum futiliter, ſtolidè, leuiter conſulunt. quibus, quia ita merentur, mali dæmones reſponſa dant. Hoc habito indicio nõ eſt quòd aliud requiras. Hoc vno ad diuini ſomnij cognitionem & intelligẽtiam facilè peruenies. Verùm cum variæ ſint diuinorum formæ, nec omnes intellectu polleant, quo huiuſmodi ſigna dijudicare poſsint, nec diuinæ huius gratiæ ſimus omnes participes: *Loci cõmunes.* alia quædam, tanquam locos communes, perſequemur, quibus mediocri præditi ingenio vtantur, ac longa aliorum obſeruatione freti, facilius ad diuinitatis notitiam perueniant. Maximè igitur diuina credẽda ſunt, *Reiteratio sõnij.* quæ ſemel iterum'ue neglecta

ſæpius

ſæpius ſe offerunt, vt Sophocles cùm ex æde Herculis patera aurea grauis ſurrepta eſſet, in ſomnis vidit ipſum Deũ dicentem quis feciſſet, quod ſemel ille iterumq́; neglexit: vbi idem ſæpius aſcendit, in Ariopagum detulit rem. Ariopagitæ comprehendi iubent eum qui à Sophocle erat nominatus, is quæſtione adhibita confeſſus eſt, pateramq́; retulit. Similiter iudicandum de ijs quæ licet diuerſa appareant, eundem tamen ſenſum repræſentãt: vnde Ioſeph ad Pharaonem inquit, Quod autem vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt. Somniauerat ſiquidẽ primò boues pingues, & confectas macie. Secundò vberes & ſteriles ſpicas.

Vtrunque fertilitatis, & futuræ ſterilitatis argumẽtum. Nec minus vatidica putanda ſunt, quæ duobus circa idem negotium occupatis, eodem tempore, ſimili modo prorſus eueniunt. alter enim diuinæ alterius viſionis pleniſsimam fidem facit. Quale P. Decii & Mãlii Torquati collegæ ſomniũ extitit. Vtriq; enim viſum eſt, bello Latino eos victores futuros, quorum dux in prælio cecidiſſet. quod & conſecutum eſt, Decio conſule morte ſua Romanis victoriam relinquente. Firmum etiam diuinitatis argumentũ præbet animus, cum expergefactis nobis, diuinum quiddam ſapere quod per ſomnum viſum eſt, perſuadere conatur, repugnantesq́; nos ad

Idẽ duobus apparens.

Opinio de uiſione.

interpretationem cogere. quod melãcholicis magis accidere solet visa non solum nocturna, sed et diurnas ipsas cogitationes pertinaciter secum agitantibus, totiensq́; mente volutantibus, donec inexpectatum quendam, nec aspernandum sensum inde collegerint. Vnde & hos diuinationibus maximè commodos putauit Aristoteles. Nec prætereunda sunt quæ quis viderit de altero cognatione quadam, aut amicitia sibi deuincto, vbi præsertim nihil tale de eo interdiu cogitatum est, aut visum. vt quæ Calphurnia somniauit miserandam mariti cædem prædicentia, exta Cæsari sine corde inuenta. Multo minus quæ per quietẽ persona aliqua grauis faciẽda, aut vitãda denunt

Somniũ de altero.

Somniũ à persona graui.

denuntiat, futura've significat. vt quæ Scipioni Aemyliano Africanus alter Scipio & Paulus pater apud Ciceronem referunt.

Ab ignoto.

Huc spectant & quæ per ignotam aliquam personam admonemur, vt Eudemus Cyprius ægrotans vidit quendam egregia facie iuuenem conualescentiam promittentem, & Tyranni interitum, suumq́; ad suos, id est superos reditum prædicentem.

Ab autoritate.

Et quæ prolata ex poëtis, philosophis, historicis, aliisq́; bonis autoribus sententia nobis significantur. vt Socrates quum esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum, vidit in somnis pulchritudine eximia fœminam, quæ se nomine

appell

appellans, diceret Homericum quendam eiusmodi versum,
Tertia te Phthiæ tẽpestas læta locabit,
quod vt est dictum, sic scribitur contigisse. Huius generis sunt denique quæcunque à fratribus, parẽtibus, amicis, mortuis, à brutis ipsis animantibus in somnis audimus, quorum omnium exempla afferrem, vt Cicero multa in libros suos de Diuinatione cõgessisset, & infinita apud Historicos prostarent. In omnibus tamen diligenter animaduertendum hoc est, an ordinem seruẽt. *Ordo.* vnde Hippocrates cum in re Democriti solicitus somniasset Aesculapiũ cum comitibus pixides medicamentarias gestantibus manum sibi porrigentem, mox abeuntem, veritatẽ & opinionem

nionem

nionem relinquere: interpretatus Democritum non egere medico, & veritatem habere Democritum eſſe ſanum, qui Abderitarum opinione inſanus crederetur, ad Philopœmenem inquit, Quæ vera quidem eſſe credo Philopœmen, & ſunt. Non enim contẽno ſomnia, quæ præſertim ordinem ſeruant: prius verò ſibi perſuaſerat certum id ac verum fore, quòd confeſtim mirandum in modum expergefactus fuiſſet. Plurimum autem ad diuinitatem accedunt, quorum interpretatio viſione nocturna ſomniantibus ipſis oſtenditur. Quæque per ſomnum admoneri à quodam videmur expendenda, ac notanda quia minimè vana. Et quæ de his ædun-
tur

Excitatio.

Interpretio sõniata.

Commẽdatio.

tur quæ ſecum quiſq; reuoluit, & mente agitat diſcedendo cubitum, verum inde reſponſum conſtanter ſperans. Sicut ſcribitur dictum Nabuchodonoſor à Daniele, Tu Rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo quod eſſet futurum poſt hæc. Ad idem ſpectant indicationes ſumptæ à loco & tēpore. Luna enim ſignum illud percurrente quod fuit in nona radicis natiuitatis, vel reuolutionis illius anni, vel in nono ſigno à ſigno profectionis, efficaciora reddi credūtur ſomnia. Mercurio etiam in dictis locis in Aquario exiſtente, aut Sole in Libra, Ioue etiam, vel Saturno vel Venere nonam domum perluſtrante, maximè ſi hanc & Iouem Saturnus beneuolo

Somniū ſuper negotio propoſito.

Tempus.

9

aliq

aliquo radio contueatur, diuinitatis haud expertia fieri arbitrati ſunt Aſtrologi. Familiariſsimam verò ſomniis conſtat eſſe noctem, quòd eo tempore pacatiſsima mens, diurniſq́; negotijs libera, nec rerum quæ vigilantibus obuerſari ſolent, varietate diſturbata, diuinitati perſeueranter inhærere poſsit. Fieri autem vera magis putant tempore matutino, quod inter ſomnum & vigiliam ſit, quod & voluit Iamblichus & refert Hippocrates, ſe ſuum de Democrito vidiſſe ſomnium, aurora iam incipiente, cum vix dormitaret. Quod ad locum attinet, qui Lacedæmoniis præerant in Paſiphaë phano ſomniandi cauſa recubare ſolebant. Idem fiebat in templo Aeſculap

Locus.

culapii, à quo vera existimabant immitti somnia. Et Calabri Podalyrium Aesculapii filium consulturi, iuxta illius sepulcrum in agninis pellibus obdormiscebant. Sic nanque quæ in somnis quisque vidisset, tanquam vera, & certa diuinitate prædita mirabatur, ac notabat. Nostris temporibus verò licet huiusmodi ritus non amplius admittantur, non desunt tamen superstitiosi quidam homines, qui certum locum sibi deligunt, in quo post multas ac varias expiationes, post religiosas quasdam obsecrationes, de quibus negotiis scire cupiunt, dormientes, admoneantur. verùm hæc magis ad captanda ex somniis oracula pertinẽt. Obseruata itaq; prædictorum si-

gnorum multitudo diuinitatis argumentum exhibet: vt in Hippocratis ſomnio, ordo, perſona grauis, ſomnium ſuper his quæ prius mente agitauerat: & in eo Sophoclis, perſona grauis, Deus ipſe, & reiteratio ſomnii: & in eo Decii, collegæ idem ſomnium, perſona haud leuis, genius videlicet, ſomnium ſuper negotio propoſito, & à quiete animus ſomnii diuinitatẽ perſentiens, haud cõtemnendarum viſionum fidem fecerunt. quibus ſi & locus idoneus, & opportunum tempus acceſſerint, tunc certiſsimè de ſomnii veritate iudicare poterimus. Atque hæc potiſsima viſa ſunt, per quæ ad diuinorum ſomniorum cognitionẽ facilè perueniremus. Reliquũ eſt methodũ

aperi

aperire, qua horum ſenſum aſſequamur. quod vt fiat ſingula membra ſeparatim conſiderãda nobis ſunt. Naturalia igitur ſomnia quæ allegoria, aut ſimilitudine carent, nihil negotii præbẽt vt intelligantur, vt ſi quis febricitans febricitare ſe putet, & dormiens dormire. Quæ verò allegoriam quandam includunt, in rerum naturalium cauſis exercitatum hominem deſiderant præcipuè, quod voluit Ariſtoteles, ſimilitudinum diligentẽ exploratorem, quales Hippocrates & Galenus extiterũt. vterq; enim propriis libellis naturalia ſomnia diuino quodã ingenio interpretatus eſt. Hos itaq; autores propoſito huiuſmodi ſomnio conſulere licebit. Diuina quoq; ſpecula-

Interpretatio ſomniorũ.

tiua quædam vocantur, quæ id-
ipſum omnino quod viſum eſt,
ſignificant: quædam allegorica,
quæ ea quæ ſignificantur, per
ænigmata, ſimilitudineśve oſten
dunt: quorum diſcrimen ex hoc
haberi poteſt, quòd ſpeculatiua
ferè intra viginti quatuor ho-
rarum ſpatium in actum pro-
deant: allegorica diem vnum
ſemper excedãt. Præterea ſomnii
diuinitatem cõcipiens, in eaq; ſe
oblectans anima, ſine intermiſ-
ſione ratiocinatur, & apud ſe co-
gitat donec intelligat quò tendit
ſomnium ipſum, ſtatimq; ad ex-
poſitionem ſe componit. Specu-
latiua quidem nullo negotio ex-
plicantur, vt quæ nihil aliud
oſtendant, quàm quod ſecũdum
quietem viſum eſt. Verum alle-
gorica

gorica plus difficultatis adferũt, quòd longe aliud, quàm quod ſomniatum eſt, indicare habeãt. In his quoq; diſſoluendis omnes ferè iuxta Ariſtotelis ſententiam ſimilitudinum & diſsimilitudinum vim attenderunt. Sed quia contingit non raró ſomnia in multas, easq́; diuerſas contrariorumq́; euentuum ſignificatrices ſimilitudines incidere, in his totam artem minimè conſtituendã arbitror. Sed iuxta Syneſium, maximè notandum cenſeo, quæ viſa in quales euentus inciderint. Iubet enim vnumquenque ſomnia ſua, & ſuos inde obſeruare euentus, ac huiuſmodi regulas, ſcilicet viſa, & accidẽtia, cum ſomnii, tum vigiliæ, memoriæ commendare. atque ſedulà hac

quadam obſeruatione, plurimas regulas penes ſeipſum accumulare. Ex qua quidem accumulatione ars quædam diuinatoria & ſuorum cuiq; ſomniorum interpretandorum paulatim conſurgit, dum nihil dilabitur à memoria. Non eſt igitur exiſtimãdum aliorum ſomnia noſtris ſimilia idem omnino portendere, quod in noſtris experti fuerimus. Sua enim cuiq; eſt mens, ſua natura, ſua lex, conſuetudo, ſtudium, conuerſatio, ſuus cuiq; ſomniandi modus, ſuum cuique tempus, ſuus locus, & cætera, iuxta quorum vim ſomnia reddi & immutari ſolent. Illos igitur obſeruata ſua ſomnia, eorumq́; euentus fateri cogito. Quæ ſi non obſeruarint, recta ſimilitudinum,
&

& diſsimilitudinum habita ratione, pro lege, conſuetudine, natura, moribus, loco, tempore, nominibus, ſimilibusq́; prudenter iudicato. Non ſolum enim vtile, ſed & neceſſarium dicebat Artemidorus, cũ ei qui vidit ſomniũ, tum interpreti, vt ſciat ipſe ſomnii interpres, quis ſit qui ſomnium vidit, & quid rerũ agat, & quomodo natus ſit, & quam habeat poſſeſsionem, & quomodo circa corpus habeat, & qua ætate ſit, præcipuè verò ſomniũ ipſum exactè expendendum eſſe, velut eſt. Nam parua additione, aut ablatione euentus alteratur. Quo fit etiam vt ea nõ facilè ſit iudicare, quorũ memoria ex integro non reſtat, ſiue initii, ſiue medii, ſiue finis obliti fuerimus,

9

ſed ea tantum quorum exactam comprehenſionẽ ſomniator ipſe habuerit, quorumq́, exactè meminerit. Non pauca tamen aliqua ex parte imperfecta, interpretari volentes, pro iudicio aliquid addimus, aut demimus, ex quo diuinandi anſam capere queamus. Contrà ſi quid redundare videatur, idcirco ſomnium ipſum non reſpuimus. Nullum enim frumenti granum abſque paleis, & quemadmodum natura non neceſsitatis ſolius gratia omnia facit, ſed etiam ornatus, vt pampinos in vitibus: ſic etiam ipſa anima multa ornatus gratia contemplatur, & ſæpe à parte totum demonſtrat. Quapropter ab eo quod præcipuum videbitur, reiectis quæ minus ad rẽ faciunt,

ciunt, interpretatio aggredienda eſt. Quemadmodum ſi quis domum ingreditur, omnino & porticum, & poſtim, & ſuperiorem ianuæ partem videt, ſed nõ propter hæc ingreditur: idcirco non ex his iudicationem facere oportet, ſed ab ipſa domo. Redundare quoque non pauca ſæpe, in initio diximus, ob vinculum quo corpori alligata eſt anima, atque ob ſpecies rerum interdiu actarum, quibus non rarò ſolet incũbere: & iis qui ſomniorum artem tenent, anima ipſa artificioſius colludere ſolet. vbi contigerit cõpoſita eſſe ſomnia, diuidẽda ſunt, atq; vnumquodque ſeorſum iudicandum. Mixta verò, & inter ſe complicata, ægrè, & difficulter exponi poſ-

ſunt. Sæpe eadem videre, ſi quidem ex paruis interuallis videãtur,& continenter, ſemper idem ſignificare putamus: quando verò magna interualla fuerint, aliâs alia portendere, quòd non ſemper in iiſdem negotiis verſemur. Conſiderandum verò in omnibus, num iucundum, aut iniucundum ſomnii fuerit viſum. Nam etiam quæ malum ſignificant, ſi anima videntis per ſomnum non iniucundè fuerit affecta, minora mala euenient,& ferè euentus non ſuccedet. Quæ verò bonum quid portendunt, ſi non animæ affectio fuerit iucunda, bona imperfecta contingent, aut inutilia, aut omnino minora. Sed de interpretatione hæc ſatis. Nunc diſcutiẽdum videtur, quo tem

Somnij ſignificatio quando ĩ actũ prodeat.

tempore interpretata iam huiuſmodi ſomnia in actum prodire debeant. ſuper qua re multa probabiliter, & acutè diſputauit Artemidorus, in hunc modum: Quæcunque, inquit, in determinatis temporibus fiunt, ex rebus quæ exiſtunt, ea etiam in ſomnis viſa, in iiſdem temporibus eueniunt, velut certamina, & cõuentus, & magiſtratus, & exercituũ duces, & ſimilia. Quæcunq; verò ex rebus exiſtentibus, in indefinitis, & nõ fixis temporibus fiunt, indeterminatè etiam eueniunt. velut concubitus, & cibi excretiones, & præexcretiones, & his conferẽtia, exceptis animalibus. Hæc enim quanto tempore gignuntur, hoc eſt quanto in vtero geſtãtur, tanto etiam eueniunt.

In

Inſuper dii, & Reges, & parentes, & domini, non in determinatis temporibus eueniunt. Accipies autem moderatos euentus, & tempora, ex adiacentibus ſingulis eorum quæ videntur, aut ab ipſis expectationibus. Ridiculum enim fuerit ei qui de craſtino timet, aut ſperat, & ſomnium vidit, in anni horas futura iudicare. Amplius autem & quorum inuentio ad dies expoſita eſt, diebus eueniunt, quorum verò diuturnior, longiori tempore. Et quæ à longe videntur, velut quæ circa cœlum, propter diſtãtiam ſerius eueniunt. Idem ſpeculatiua eueſtigio, & valde ſtatim euenire putauit. Allegorica omnino tempore aut multo, aut modico intercedente, aut vt
mini

minimum die vna. Non pluris tamen quàm ad vſque duos & viginti annos effectu ſuo fraudari poſſunt. Sic Ioſeph anno ætatis ſuæ decimoſeptimo ſomniauit, quod poſteà ætatis ſuæ trigeſimo nono prodiit in actum. *Peroratio.* Atque hæc eſt in vniuerſum recta, & minimè ſuperſtitioſa interpretãdorum ſomniorum ars, partim ex diuina ui conſulente mentibus, partim ex conuenientia quadam, & coniunctione naturæ nec non ex cõſtanti & diuturna quadã obſeruatione conflata. ad quam qui acceſſurus eſt, aduertat imprimis diuina ſomnia non ita ſæpe euenire. Quapropter conſulimus, vt nemo ſomnii diuinitatẽ ſuperſtitioſe inquirat, ſed iis tantum mentem adhi

adhibeat, quæ manifeſtè animo poſt ſomnum hæſiſſe ſenſerit. Cauentes interim ne crudelitate noſtra, aut ſuperſtitione in dæmonum laqueos præcipitemur, arbitrantes à Deo, vel bonis Angelis nos viſionē accipere, quam seductor ille diabolus inſpirauerit. Quo pacto autem id intelligendum eſſet, ſufficienter diximus, cum falſa à diuinis ſepararemus. Horum autem explicationem tum ex hac methodo, noſtra, tum artificioſa ſimilitudinum interpretatione apud Artemidorum petere licebit. In naturalibus inſomniis ſi quis liberius ſe exercuerit, rem medico non modo dignam, ſed & perneceſſariam ſe feciſſe ſciat. De his quæ à malis dæmonibus immit-
tunt

tuntur, non eſt quòd amplius verba faciamus, cum partim naturales habeant ſignificationes, partim meras inſidias: quibus deprehendendis, propellendisq́; ſagaci opus ſit ingenio,& diuina quadam induſtria, potius quàm humana arte. Poſtulabat hic locus vt de captandis ſecundum quietem oraculis paucula diceremus, quòd hanc philoſophiæ partem maximè coluiſſe videantur Mercurius Triſmegiſtus,Pythagoras,Plato,& hos ſecuti, Iãblichus, Plotinus, Porphyrius, Proclus. Idq́; per reditum animæ in primam ſuam naturam, qua vigebat antequam in mortale, & caducum hoc domicilium laberetur. Reditum autem fieri conſtat iiſdē gradibus,quibus & deſcen

descensum. De quibus non pauca scripseramus, Platonicorum decreta secuti. Sed cum pleraque Mathematica, & secretissima Chaldæorum, & Indorum Philosophorum mysteria interseruissem, visum est eruditis aliquot viris, amicis meis (quibus ea communicaueram) huiusce-modi naturæ miracula suis limitibus continenda esse, quòd vulgi aures nõ ferant, quæcunq; vulgarem inquisitionem transgrediuntur. Quàre ne & petulanti inscitiæ, & calumniæ locum daremus, quicquid de ea re à nobis scriptum erat, aut expunximus, aut in ardentes flammas coniecimus.

FINIS.

HIPPOCRATIS DE INSOMNIIS LIBER,



IVLIO CAESARE SCALIGERO INTERPRETE.



VAE per ſomnia coniici poſſunt, ſiquis nota habeat: magnũ ad omnia ſanè momẽtum ea conferre intelliget. Etenim anima, dum vigilat, atque corpori vires adminiſtrat, in multa diſpertita loca, nequaquam vacat ſibi: ſed ſingulis corporis functionibus intenta eſt: quippe ipſis ſenſibus, auditui, viſui, tactui, ambulationi, actioni: omni de-

nique cogitationi, ipſa pro ſe nihil agitat. Cũ verò quieſcit corpus, illa mouetur: atq; egrediens è corporis partibus, ſuo domicilio continetur: ibi omnibus illius fungitur officiis. Corpus enim ſomno captũ nihil ſentit. at ipſa vigilans cognoſcit: vidēda videt: audienda audit: vadit, tãgit, mœret: temporis momento ratiocinatur: ibiq; in ſomnis tum ſua, tũ corporis obit munera omnia. Si cui igitur recto hæc erunt cõprehenſa iudicio, ei magna ſapientiæ pars fuerit comparata.

Igitur quæ ſomnia diuinitus publicè priuatim'ue euẽtum aliquod ſiue malum, ſiue bonum inſontibus portendunt: ſunt qui exacto iudicio artem calleant iis interpretandis.

Quæ

Quæ verò corporis affectiones ab anima præmonſtrantur: ſiue quod repletum ſit, ſiue quod inanitum: aut aliquam cognatarum partium redundare: aut eorum, quibus aſſueuerit, quippiã mutatum iri: has quoque affectiones indicant: ſed ita, partim vt aſſequantur, partim aberrent. Verùm vtriuſq; rei cauſam ignorant, & quare deprehenderint, & quare falſi ſint: quamobrem obnuntiant, cauendum eſſe, nequid detrimenti capiatur. Cæterum quibus ſit vitandum conſiliis, cùm nihil doceant: Diis immortalibus vota iubent nuncupari. Id quod tametſi & rite fit, & in primis eſt cõducibile: oportet tamen Diis inuocatis, nos quoq; operæ aliquid in medium

afferre: quæ ad hunc ſanè modum præſcribi poſsit.

Diurnas actiones ſi in noctem transmittat cogitatio: reddatq; in ſomnis ea, quæ interdiu honeſto in negotio, aut opera, aut conſilio patrata ſunt: id homini bonum eſt. ſanitatem enim ſignificat: propterea quòd anima diurnis in conſiliis perſtat, neque repletione neque inanitate victa, aliá'ue re quapiam, quæ extrinſecus euenire ſolet.

At cùm diurnis functionibus ſomnia aduerſantur ita, vt inter ipſa nõ conueniat: indicatur corporis perturbatio. Itaque ex forti forte malum portenditur, ex debili imbecillum.

Vtrum verò res hæ ſint auerruncandæ, nec'ne, non eſt nunc conſi

consilium indicare : sed hominis corpus curandum esse statuo. Cùm enim corpus plenius est: quod superfluum est, animæ negotium facessit. Igitur id quod aduersatur, si validius sit, & vomitus confert, & leuiorum ciborum vsus, ad diem quintam vsq;: tum deambulatio post cibũ frequens, atque concitatior: moderatæq́; præterea exercitationes.

Quòd si minus validum sit id, quod oppugnat: omisso vomitu tertiam demito ciborum partem. Quam viuendi rationem in dies item quinque promoueto: deambulationibus vrgeto: vocis vtitor contentione: Diis immortalibus vota concipito: atque ita sedabitur perturbatio.

Solem, & Lunam, ac cœlum,

tum ſidera ipſa pura, ſuo quæq; modo motuq́; agitãtia ſiquis per quietem cernat, pro bono habebit. Valetudinem nanque, eiusq́; cauſas commodas indicant. Cæterũ præſenti victus ratione habitudo illa ſeruanda erit. At ſiquid contrà euenerit: morbum quempiam corpori minatur: ac validum quidem à fortibus indiciis, ab leuioribus debiliorem.

Ac ſidera quidem in ipſo mouentur ambitu: Sol medium obtinet: Luna in cõcauo cœlorũ eſt.

Siquid horum ſiderum extingui, lædi'ue, aut aboleri, vel ab orbita ſibi attributa abſiſtere videris: eadem quoque parte morbum occupaturum iudicato.

Si ab aëre, aut nube, ſidera horum quippiam pati videantur,

ſignum

ſignum debilius eſt: ſin ab aqua, aut grandine, fortius. Indicat enim in corporis intima humidum ac pituitoſum illapſum excrementum. Confert igitur huic plurima exudatio: quam perficiet, ſi leuiore curſu primùm, mox etiam omnibus indutus veſtimentis frequentius cõcitetur. Tum verò id quoq; curandum eſt, vt poſtquam ſeſe exercuerit, deambulet ieiunus multũ. Præterea quinq; dies totos expedit victitare tertia dempta ciborum parte. Quòd ſi malum valentius videatur, etiam vaporario opus eſt. Excrementa nanq; per ſumma corporis educi debent: propterea quòd nocumẽtũ in ambitu corporis eſt. Cibi verò ſicciores conducibiles ſunt, itẽ acres, tũ

aſperi meraciores: poſtremo ii labores, qui maximè exiccant.

Quòd ſi horum quippiã Lunæ acciderit: commodius introrſum retrahimus. Acribus quoq;, ac ſalſis, molllibusq́; cibis vomitus ciendus erit. Concitatis tum curſibus, tum deambulationibus, præterea vocis contentionibus vtetur. Necnon ciborũ moderata, ſtataq́; exhibitione inediam tolerabit. Propterea verò introrſum retrahendũ erit: quia nocumentum intus eſt.

Si Sol harum rerum vlla afficiatur, vehementius malum hoc, curatuq́; difficilius fit. Oportet enim vtroque verſum diſtrahere, curſibus & rectis, & flexuoſis: item deambulationibus, aliisq́; omnium generũ laboribus: præterea

terea instituta ciborum temperatione post vomitiões, ad quintum vsque diem vti.

Sudo cœlo sidera si premi, præq́; siccitate imbecilla superare ambitum nequire videantur: periculum à morbo imminet. Igitur laboribus temperare, humidioreq́; victu, atque molliore vti, operæpretium est: tum balneo, animi tranquillitate, largiore somno, vsque dum pacatus sit motus.

Sin igneum, calidumq́; appareat id, quod oppugnat illa: flauæ bilis arguit exuberantiam.

Quòd si victa euanescere videantur, timendum est, ne morte morbus finiatur.

Si autem vegeta ipsa, at aduersarius in fugam verti videa-

tur, eaq́; fuga cita sit: illa verò persequantur: in discrimine homo est, nisi caueat, ne mente moueatur. Optimè confert his victitandi modus, exhibito veratro: aut saltem expedit, aqua victum attenuari, neq; vinum bibere. Quòd si vinum detur, esto id album, tenue, molle, aquosum. Acria nocent, & ea, quæ desiccãt, aut calefaciunt: item salsa. Labores, quibus assueuerit, & cursus frequentiores in veste, boni sunt. Abstineat fricatione, lucta, vnctione. Molliore somno, & animi quiete iuuabitur: sed ita, naturales labores vt ne prætermittat. A prandio deambulato. Conducet etiam, si sudet in vaporario, ac deinde vomat. Dies triginta modico victu vtitor. Sin replebitur,

tur, ex dulcibus, & aquoſis, & leuibus, bis in menſe vomat.

Si ſtellæ nullo impellente, per ſe ipſæ palantes videantur: animæ perturbationem propter curas indicant. Ergo animi remiſſione opus eſt, atque appulſione ad iocoſa ſpectacula, aut ſaltẽ ad ſcenicas voluptates biduo, triduo've. Itaq; aut ſedabitur, aut in morbum incidet.

Quæ ſidera ex orbita ſua excidere videbuntur, ea ſi pura, ſi illuſtria prorſum promouent, bonæ valetudinis argumentum præbent. Quod enim in corpore purũ eſt, id naturali circuitione poſt veſperas ad mane excernitur. Nã quę in vẽtrẽ demittũtur, & quæ in carnẽ redundãt, ex circunferentia omnia deciduntur.

Quòd

Quòd si aut atra, aut obscura fuerint, & in Occidentem delata, aut ad mare, aut ad terram deuergant, aut ferantur sursum: morbum portendunt efficacius. Quæ sursum nituntur, capitis indicāt distillationes. Quæ ad mare demittuntur, pustulas in carnem designant erupturas. Commodè his cibi tertia detrahetur pars. Quem viuendi modum in quartum vsque proferet diem: atque interea vomet: postea in dies totidem tum vomitus, tum pristinam inibit cibi rationem.

Horum siquid in cœlo insidere, idq́; purū, humidumq́; apparebit, sanitatis nota est. etenim cœlitus id in hominem descendit: quippe anima tale cernit, quale in ipsam ingressum est.

Quòd

Quod verò atrum, atque impurum, obſcurumq́; fuerit, morbum minitatur: quanquam non ab repletione, aut inanitione, ſed ab eo, quod extrinſecus ingruerit. Citatis decurſionibus curantur ii eò vſque, dum corpus, ſed intra modum, diſſoluatur. Compreſſo verò ſpiritu excernat, quod obuium ſit. Poſt curſiones, ſpatia faciat incitatoria. Victus modus mollis, leuisq́; eſto, ad quartam vſque diem.

Cùm à deo accipere quippiã ſomniamus, argumentum eſt probũ bonæ valetudinis. Oſtendit enim, quid in corpus ſeſe induit, purum eſſe.

Contrarium autem malum. Inſinuaſſe nanque ſeſe in corpus morbum, oſtendit. Quare

ſuper

ſuperiore ratione hunc quoque curabimus.

Mollis pluuia, clementi cœlo, minuta roratione, ſine hyberno impetu, bona eſt. Ex aëre nanq; ſpiritum moderatum, purumq́; ſubiiſſe demonſtrat.

Huic diuerſi imbres, largi ſcilicet, hyemales, ac procelloſi, cùm aqua ſordida, ab inſinuato ſpiritu morbum prætexunt. Modico cibatu ales omnes hos.

Indicia, quæ cœleſtia intentent nobis, his iudiciis obſeruare, hisq́; cōſiliis victus inire oportet rationem. Tum Dii immortales ſecundis in rebus ſupplicationibus adeundi, Sol, Iupiter cœleſtis, Iupiter opulentus, Minerua, Hera, Mercurius, Apollo: in aduerſis, ad Deûm iram auertend

tendam, Tellus, Heroês incõmodorum auerruncatores.

Quæ verò in terris functiones exercentur, eæ quoque ad valetudinem conferunt dignoſcendam: vt, acutè videre, audire: firmè ambulare: inoffensè, ac ſine metu currere: terram quoq; intueri ſolutam, beneq́; cultam: arbores germinantes fructu grauidas, ac mites: amnes temperato labentes curſu, aqua lympida, ac quanta ſatis ſit: item fontesq́;, puteiq́; valetudinem bonam nunciant ſomnianti: eiusq́; corpus pro ſuo modo, & digerere, & admittere, & excernere.

Contrà, diuerſa ab iis, noxam prædicunt. Si viſus, ſi auditus impediri videatur, caput ægrum indicant. Matutinæ huic

deam

deambulationes inſtituẽdę, præſertim à prandio: obſeruata priore viuendi ratione. Quòd ſi crura male habeant, vomitu materia diſtrahenda erit, & priſtinis victitandi legibus addenda luctandi exercitatio. At ex terræ ſqualidæ viſione, impuram eſſe carnem coniectamus. Itaq; poſt exercitationes, multum eſt deambulandum.

Steriles arbores humani ſeminis declarant corruptionem. Si frondes cadere videantur, ab humidis ac frigidis impendet detrimentum: ſin frondoſæ ſint & fructu careant, à calidis, & ſiccis. ibi igitur victus ſiccus, calidusq́; eſto: hic frigidus, & humidus.

Fluminum mutata facies ſanguinis motum repræſentat. Plus iuſto

iuſto tumidi ſi fluant, exceſſum: ſi minores, defectum agnoſcas. Largiore victu his opus eſt, illis parciore. Turbulenti perturbationem ſignant. Reſtituetur puritas curſu, ac deambulatione, poſtquam ſpiritus contentione motus fuerint excitati.

Fontium, puteorumq́; viſiones, flatibus affectam veſicam declarant. Quamobrem vrina cienda erit, vt educantur.

Mare fluctuabundum ventris morbos nuntiat. Qui lenibus, mollibus'que deiectionibus ſunt tollendi.

Terra, aut domicilium ſi moueri videantur, homini ſano langorem portendunt, ægrotanti ſanitatem, atque præſentis ſtatus mutationem. Sanus, ſuæ conſu-

let valetudini: ſi victum alium præſcribat ſibi, primùm vomat: deinde pauxillo cibo reficiat ſe. Totum nanque corpus principiorum mouetur ratione. Aeger autem nihil mutabit. mutatur enim ipſe tunc ex eo, in quo eſt.

Maris, aliarum've aquarum diluuio terra obruta, morbum ſignificat. Multus quippe humor in corpore ineſt. Vomitu, atq; inedia tum laboribus, præterea ſiccis cibis curandi ſunt. Poſt hæc per gradus paulatim priſtina victus repetenda lex eſt.

Neque verò illud bono eſt, atram terram, atque exuſtam cernere: vehementis enim, letaliſq; mali appulſu tentatum iri: quippe ariditas in carne multa indicatur. Quies igitur appetenda.

da. Siccis,calidis, acribus, & iis, quæ vrinam mouent, abſtinendum: ptiſanæ decocto contentus ſit: mollibus cibis, ac leuibus, ſed paucis, albo vino, aquoſo multo:lauacris multis, calidis: ſed in quæ nunquam ieiunus ingrediatur. Molli cubet ſtrato, animi tranquillitate conquieſcat. Frigus,Solemq́; vitato. Telluri, ac Mercurio, heroibusq́; ſupplicato.

In lacu, mari've, aut fluuio ſiquis ſe ſomniet vrinare, malum eſt. Exuberantia nanque humoris indicatur. Tenuis victus, atque laboribus exercitatus huic vtilis eſt. Quòd ſi hoc accidat febrienti, bonum eſt:extinguitur enim ab humore calor.

Eorum, quæ ad ſeſe, ſuamq́;

naturam pertinent, ſicui quid in ſomnis videatur eius eſſe modi, vti neque maius, neque minus ſit: bonæ valetudinis monſtratio eſt.

Candida veſte, pulchriſq́; indutus calciamentis bene ſentire debet de ſua ſanitate.

Membrorum modus alius, atque à natura conſtitutus, nihil boni pollicetur. Peius verò eſt, ſi minore ſit quantitate, quàm ſi maiore. Victus in altero euentu, augendus, in altero minuendus erit.

Atræ ſpecies ad ægritudinem præmonſtrandam propenſiores, maius diſcrimen obnuntiant. Mollibus ergo humidiſq́; bona valetudo cōſtituenda erit.

Omnia item noua, ſignificant mutat

mutationem.

Vita functos nitidos, atque candidatos si quis viderit, bonæ valetudinis argumentum habet. Si quid puri ab his acceperis, ratio par. Sanum nanque corpus dicitur, sanaq; alimenta. A mortuis enim alimenta, & augumenta, ac semina ipsa suppeditantur: quæ, si pura in corpus subeunt, edicunt sanitatem.

Eosdem contrario habitu si videas, nudos aut atratos, aut sordidatos, aut aliquid capientes, aut auferentes ex ædibus: minimè commodum est. Instat enim morbus. Ea nanque, quibus alitur corpus, noxia sunt. Decursu, ac deambulatu curantur, molliq; cibo, leui, postquam vomuerint.

Cùm monſtroſa corpora in ſomnis oſtendunt ſeſe, atque hominem territant: tum coniicimus, inſuetis cibis, atque exuberantibus grauatos eſſe nos. Bilem quoque, & morbum periculoſum minitantur. Itaque vomitum prouocato: quinque dies cibariis leuibus, minutis acquieſcat. Abſtinebit ab acribus, ſiccis, calidis. Laboribus verò, quos natura exigit, præterquàm deambulatione, quæ poſt prandium præſcripta ſit, exercebitur. Balneis, calidiſq́; perfuſionibus, & animi æqualitate fruetur. Ab Sole, & frigore cauebit ſibi.

Inter dormiendum qui putat ſeſe aut cibum, aut potum ſolitum capere: is intelliget, & minus capere nutrimenti, quàm par

par ſit:& animo eſſe triſtiori.

Carnes validiſsimæ maximum exceſſum ſignificant: tenerrimæ minorem. earum nanque ratio par,& cùm eduntur,& cùm videntur. Oportet his demere de cibo: propterea quòd plurimi alimenti argumentũ eſt.

Panes quoque caſeo confecti, ſomnii eiuſdem nacti ſunt finem.

Aquæ puræ potus, bonus eſt: cætera omnia noxia.

Quibus aſſueuimus, ea per quietem intuendo, animæ declaramus cupiditatem.

Cùm quid præ terrore fugitamus, præ ſiccitate ſanguis in nobis tumultuatur. Refrigerare igitur, atque humectare corpus conuenit.

Cum pugnam committere, atque extimulari, aut vinciri videmur: tunc aliquid superflui corporis functionibus aduersari deprehendimus. Tollit id vomitus, deambulatio, leuioribus cibis attenuatio: quos post vomitum, dies quinque continuabis.

Siquis errabundus, siquis cliuos superare sibi videatur: difficile quippiam naturæ suæ incommodare intelligat.

Fluuiorum transitus, hostes armati, monstra difformia, aut morbi, aut furoris præsagia sunt. Qui his sunt præuenti, iuuantur victu tenui, leui, delicato, vomitu non violento, ad dies quinque: laborum frequentia, quos exigit natura: verum his post cibum abstinebit. Bal-

neum

neum & desidiam, & solem, & frigus cauere debet. Horum enim vsu, quemadmodum dictum est, bona poterit valetudo comparari.

Hæc est viuendi ratio, quæ pro humano captu, Diis bene iuuantibus, à nobis est instituta.

FINIS.





GALENI DE INSOMNIIS LIBER,

*

GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.



NSOMNIVM quoq; corporis dispositionem nobis indicat, vbi quis ignẽ accensum videre se per somnium existimat, à bile flaua infestatur. Si fumum, aut caliginem, aut tenebras ingentes ac profundas, ab atra. Pluuia, frigidi humoris abundantis index est. Nix, glacies, grando pituitam frigidam portendunt. Porro in his tempori ac

alimento ſumpto mentem adhibere conueuit. Nam qui niue conſpergi ſe putat, ſi hoc in acceſsionis inſultu, cum totius corporis concuſsione, vel horrore, vel frigore imaginatus ſit, temporis potius quàm corporis ſtatui tribuendum eſt. At qui in declinatione huiuſmodi ſomniarit, firmiorem humorum præpollentium frigiditatis indicationem nobis offeret: idq́; adhuc magis vbi pituitoſos cibos aſſumpſerit: quibus in ventriculo contentis huiuſmodi quædam imaginatio fieri ſolet, & ſi in toto corpore ſimilis diſpoſitio non exiſtat. Quoniam verò per inſomnia non ex corporis ſtatu animus imaginationem ſolum concipit, ſed ex quotidianis ac con-

ſuetis nobis actionibus: nonnulla ex illis quæ nos reddunt ſolicitos: alia quoque tanquam vaticinia prænuntiantur. Etenim experientia hoc confirmat, inſomnia quæ ex corpore proueniūt magno admodum & difficili negotio diſcerni poſſe. Si nanque à rebus quæ à nobis quotidie fiunt, item quarum curam gerimus, diiudicare ſolum oporteret: indubiè minimo labore, quæ neque acta, neq; curæ nobis ſunt, ea ex corporis cōſtitutione proficiſci coniiceremus. At quum aliqua vatidica eſſe cōcedamus, quomodo hæc ab illis quæ corpori accepta feruntur, diſcerni queant, dictu non eſt facilè. Nam ſomniauit aliquis crus alterum lapideum euaſiſſe: idq; complures
res

res huiusmodi rerum periti somnium ad seruos spectare iudicarunt. Verum neruorũ resolutionem, quam Paralysin appellant, in crure illo vir passus est. & hoc contra nostram omnium opinionem. Pugilem sanè, qui in sanguinis vase quodam stare, & vix eminere sese putabat, sanguinis copia ipsum laborare, & euacuationem requirere coniecturauimus. Nonnulli, quibus per sudores morbus finiendus erat, lauari, & in aquæ calidæ lacu natare se opinati sunt. Sic inexplebilis bibẽdi cupiditas animo concepta, vehementer sitientibus accidit: sicut edendi famelicis: veneris autem imaginatio ingens, semine repletis: quandoquidem animus in imas corpo-

ris

ris partes digreſſus, videtur, externis rebus neglectis, corporis affectũ percipere: ad hæc, omniũ quæ concupiſcit, horum tanquàm modo præſentem imaginationem arripere. Hæc ſi ita ſe habent, quid miraculi eſt, quum animalis facultas à graui humorum copia moleſtetur, vix moueri ſe pondere quodam onuſtos per ſomnium imaginari? E contrario leuis vbi fuerit, nihilq́; ſuperuacui cõtineat diſpoſitio, aut volantes ſe, aut citiſsimè currentes, ſic affectos ſomniare? Cum imaginationes animi, corporis affectionibus ſimiles exiſtant, vt vel ad grauiter, vel bene olentia venire exiſtiment. Siquidem in ſterquilinio, vel cœno verſari ſe imaginari, vel humores prauos,

graueolentes, & putridos, vel ſtercoris quod inteſtina continent, abundantiam repræſentãt. Contrà affectos, vt qui in odoriferis locis agere ſe opinantur, contrariam corporis diſpoſitionem habere præſagiendum eſt. Proinde quæ in ſomniis ægri vident, atque agere ſe credunt, plerunque humorum inopiam, ac plenitudinem, qualitatemq́; nobis indicant.

FINIS.



SYNESIVS DE SOMNIIS, TRANSlatus à Marſilio Ficino Florentino ad Petrum Medicen.





ETVS mos eſt maximeq; Platonicus ſub quodam viliori prętextu grauiora occulere philoſophiæ myſteria, ne forte quę ſummo cum labore adinuenta ſunt, pereant: ne´ve interea coinquinentur, ſi vulgo palàm expoſita fuerint. Hunc itaque morem nos in hoc opere pro viribus ſecuti ſumus. vtrum vero & id conſecuti ſimus, et cætera antiquorum

more abũde tractauerimus, diiudicare poterunt, qui hæc philosophico ingenio legerint.

Vaticinium eorum, quibus homines student, optimum esse.

SI somni sunt prophetæ, & quæ in somniis videntur, hominibus exhibent inuolucra futurorum, sapiẽtes quidem erunt, certi vero non erunt, quatenus sapientia somniorum in ipsa consistit incertitudine. occultauerũt enim dii vitam hominibus. nam maxima sine labore cõsequi proprium diuinitatis est bonũ. apud nos autem non solum virtutes, sed cætera quoque præclara sudore quærũtur. Vaticinium vero, maximum videbitur esse bonorum. ipsa nanque notitia, & omnino cognitionis ipsius fa-

cultate, tum deus homini, tum homo beſtiæ præſtat. Sed deo quidem ad cognitionem ſufficit ipſa natura: homini vero vaticiniũ longe plus affert quàm communis notitia ferat. vulgus enim præſentia tantum nouit, futura vero coniectat. Solus autẽ Chalcas in concione Græcorũ omniũ nouit Quę ſunt, quę fuerint, quę mox uẽtura trahãtur. Hanc igitur ob cauſam apud Homerum res deorum ex ipſa Iouis ſententia pendent, quoniam prior extitit, pluraq; nouit, eo ipſo, quòd antiquior eſt. ætatem enim eò tendere in carminibus arbitror, quoniã beneficio temporis plura noſſe contingit, quandoquidem notitia ipſa eſt ſanè honoratiſsimũ. Siquis autem ex aliiſ

carm

carminibus adductus, existimet Iouis imperium in manuum potestate consistere, quod ait, hic robore præstantior est, is moleste poëma interpretatur, nec intelligit, quæ in illo est, philosophiam, nihil aliud deos esse dicentem quàm mentes. sic rursus ad id, quod ait, viribus excellere, esse etiam generatione priorem adiungit, cum Iouem dicat mentem antiquiorem. Mentis autem ipsius robur, quidnam est aliud quàm prudentia? Quisquis igitur deus est, dignusq́;, qui aliis præsit, censetur: is, cum mens sit, sapientiæ præstantia imperat. Quare quod ait: Robore hic excellentior, cum eo, quod est, plura nouit, idem nobis significat. Et propterea fertur etiã sapiens

deo similis, quòd tum mẽte propius esse conetur, tum se circa intelligentiam exerceat, qua diuina constat essentia. His igitur rationibus demonstratum sit, vaticinium eorum, quibus homines student, optimum esse.

In mundo tanquam uno quodam animali res aliæ signa alijs exhibent.

SI autem per omnia significantur omnia, quippe cum omnia in vno animali mundo sint germana, atque sunt hæ veluti omniformes literæ, sicut in libro, sic in vniuerso signatæ, partim quidem Phœniciæ, partim vero Aegyptiæ, partim Assyriæ. has autem sapiens ipse legit. Sapiens vero, qui naturam didicit rerum, & alius quidem legit alias,

alias, & hic magis, ille minus. Quemadmodum hic quidẽ paulatim per ſyllabas, iſte vero dictionem ſimul totam, ille deniq; orationem ſimiliter. Ita ſanè ſapientes futura proſpiciunt, alii ſuſpicientes aſtra, alii flammas, ſiue manentes, ſiue currentes, alii in viſceribus futura rimantes, alii in garritibus auium, obſeruãtes interim quà volent, vbi'ue inſideant. ſunt & qui perſpicua futurorum ſigna coniectant ex vocibus, & concurſibus, ſiue caſibus accidentibus alteri, quippe cum omnibus omnia ſignifica ſint, quapropter ſi aues ſapientes forent, artem certe vaticinandi ex hominibus collegiſſent, quẽadmodum nos ex illis peritiam cumulauimus. ſic enim nos illis,

quemadmodum & illæ nobis, occurrimus nuper,& olim,& ad dextram,atque ſiniſtram.

Ea eſt mundi concordia, ut alia trahantur ab alijs, atque conſpirent.

CVm enim vniuerſum hoc ſibimet ſit compatiens, atque conſpirans, oportet partes congruenter inter ſe conuenire, vtpote, quæ vnius æque totius ſint partes. Conſideratione vero dignum eſt, vtrum huc tendant illices, vel motacillæ magorum. Mundana enim ſicut ex ſe viciſſim ſignificãtur, ſic inuicem permulcentur. Iam vero ſapiens eſt, qui mundanarum partiũ cognationem tenet. trahit enim per aliud,aliud preſentia tenẽs,velut pignora quædam procul abſen-

tium, voces videlicet, & materias, atq; figuras: perinde ſicut in nobis, dum interius patitur aliquid, aliud quoque compatitur, malumq́; digiti in emunctorium ſæpe reſultat, dũ inter hæc multa minime patiũtur. ambo enim illa & vnius animalis ſunt membra, & habent aliquid inter ſe cognatius, quàm cum cæteris. Atqui & alicui deo ex deorum numero mundanorum lapis hic, herba'ue congruit, quibus quaſi compatiens naturæ cedit, ac veluti faſcinatur: quemadmodum qui grauem pulſat vocem, commouet ſubito non proximã ſexquioctauam, ſed ſexquitertiã, & acutã nomine netem. hæc enim propius ſibi inuicem congruunt. Eſt enim in partibus ſicut con-

cordia quædam, ſic inſuper & diſcordia. nam mundus hic non eſt ſimpliciter vnum, ſed ex pluribus vnum, ſuntq́; in eo partes partibus conſentientes interim, atque diſsidentes, ita tamen vt earũ diſſenſio ad conſenſionem vniuerſi conducat, ſicut lyra conſtitutio quædam eſt tonorum diſſonantium, atque conſonantium. Ipſum vero ex oppoſitis vnum ad harmoniam, & lyram pertinet, atque mundum.

Solum, quod mundo connexum eſt à mundanis trahi poteſt.

ARchimedes Siculus optabat ſitum aliquem extra terram, ita ſperans ſe contra totam terram libraturum. Aiebat enim, dum eſſet in ea, ſe contra eam non habere potentiam: qui vero

vero ſapiens aliqua in re eſt circa mundi naturam, ſi extra ponatur, non habebit vlterius, quo pacto ſapientia hac vtatur. Ipſo enim ad ſeipſum vtitur. Interrupta igitur continuitate, hæc fruſtra ſapit, ſignaq́; huic obſeruata carent anima. Atqui quantum extra mundum extat diuinum, id omne faſcinari nō poteſt, huic illud ſimile, qui emiſſus eſt, nihil curat, mentis nanque naturam illecebræ non attingunt. quod vero paſsiuum eſt illecebris demulcetur, & trahitur. Prouinciã quidem, & latitudinem vaticiniis, expiationibusq́; præbent eorum, quæ in mundo ſunt, multitudo ſimul, atque cognatio, diſtantiũ quidem multitudo, vnitorum vero, cognatio. Expiatio-

nes quidem, ſolennitateſq́;, ſed nihil in præſentia ſermo moueat ciuili tantum legi fidem adhibens, vaticinium vero recipere tutum eſt: nam & ipſius totum per ea, quæ intus habentur, eſt comprobatum. Quantum vero ad præſens ſpectat, licet optimũ ſeligere, impenſiuſq́; in eius conſideratione verſari, dum interea propriam vaticiniis omnibus habemus obſcuritatem, adeo, vt nulla eius ſpecies ex hoc ipſo reiicienda ſit, quod pariter eſt in tota, integraq́; natura. Iam vero ratio declarauit, id quoque venerandum eſſe, vt quemadmodum in ſacris eſt ſecretum, ſic & oracula non omnibus ſint aperta. hinc & qui in Pythia dat reſponſa, λοξίας, id eſt obliquus,

& contortus eſt appellatus, quoniam & ligneum parietẽ, quem Phœbus Athenienſibus attulit, in ſalutem fruſtra vulgus audiſſet, niſi Themiſtocles oraculi mentem intellexiſſet, quamobrem neque vaticinium ſomniorum propterea reſpuẽdum erit, quod ſit obſcurum. ſiquidem obſcuritatem habet cum cæteris, oraculiſq́; communem.

De intellectu, & ratione, & phantaſia.

STudendum vero huic maxime præ cæteris diſciplinis, quoniam ex nobis hæc eſt & intrinſecus, & vniuſcuiuſq; animæ propria. Intellectus enim entium ſpecies habet, quemadmodum antiqua tradit philoſophia. Nos quoq; adiũgere poſſumus,

mus, ſicut intellectus ſpecies habet eorum, quæ ſunt, ſic animam eorum, quæ fiunt ſpecies poſsidere. Nempe ſic ſe habet intellectus ad animã, quemadmodum ens ſe habet ad generale. Si igitur permutatim accommodetur primum ad tertium, & ſecundum ad quartum, viciſsimq́; rependatur, nihilo minus vera loquemur, ſequentes ſcientiæ terminos. Sic itaq; demonſtratum fuerit, quod nobis placet, animam videlicet eorũ, quæ fiunt, ſpecies poſsidere, habet igitur omnes, producit vero in actum in primis, quæ & conueniunt maxime, atque phantaſiam illuminat quaſi ſpeculi more, per quã animal quæ manent intus aduertit. ſicut igitur neque intellectus

ipſius actiones animaduertimus, antè quàm ipſi communi nuntiet ipſa potentia præſidens, atq; quod non peruenit in eam, latet & animal, ſic neque, quæ in prima ſunt anima, ſolemus animaduertere prius quàm in phantaſiam eorum ſignacula veniant. Atqui videntur hæc vita quædam exiſtere aliquantum inde ſublapſa, & ſubſidens in ipſa proprietate naturæ, ſentiendi vtique vires ſunt penes ipſam. Etenim colores videmus, & voces audimus, & vehementiſsimum percipimus tactus impulſum, dum inſtrumentales corporis partes nihil agunt. Forte vero nihil prohibet eiuſmodi ſentiendi genus eſſe ſacratius. Nam & per hoc diis quoque nonnunquam

prop

propinquamus mouentibus, & prædicentibus, atque ſimpliciter conſulentibus, quapropter ſicui theſaurus contigerit, ſomni donum non admodum admirarer, neque ſiquis cubitum profectus muſarum expers inter dormiendum in muſas inciderit, & partim quidem loquens, partim vero audiens idoneus poëta prodierit, quod & noſtrum attulit ſeculum, neque hoc quidem videtur prorſus inopinabile. Mitto equidem in præſentia diuulgatas ſomnii dotes, quibus ſæpe ab inſidiis liberantur, & quot hominibus ſomnus accedens medicus aduerſam expulit valetudinem. At quando ad abſolutiſsimam æternorum contemplationem viam patefacit animæ non

ſperanti, neque etiam cogitanti, hoc quidem munus eſt in ordinẽ rerum eminentiſsimum, naturam videlicet, ſupergredi, atque cum ipſo intelligibili illum denique copulare, qui illinc uſqueadeo aberrauerat, vt neq; vnde venit animaduerterit.

De poteſtate phantaſiæ, ſpirituſq; phantaſtici.

SIquis autem magnum quiddam exiſtimauerit quidem adſcenſum in ſempiterna, neque tamẽ confidat phantaſiæ facultatem ad beatum illud commerciũ nobis ſuppetere, audiat eloquia ſacra. Quæ varias ad hoc vias oſtendunt, atq; poſt totum narrationis ordinem occaſiones ex intimis noſtris præbentem ad adſcendendum, per quem

datur

datur ſemen intimum augere. Tradunt deum aliis quidem dediſſe facultatem ad perdiſcendam luminis notionem, alios autem etiam in ſomnis diuini fructus, vigoriſq́; effeciſſe participes, videsńe diſciplinæ facundiã hic econtra diuiſam? dum dicitur aliũ quidem in vigilia, alium vero in ſomno doceri. Sed in vigilia quidem doctor eſt homo, ſomniantem vero deus ipſe fructus, vigoriſq́; ſui participem facit, quaſi non idem ſit diſcere, atque conſequi, nam paſcere fructibus, plus eſt admodum quàm docere. verum hoc quidem nobis adſumptum fuerit ad aſſeuerandam vitæ phantaſticæ dignitatem aduerſus eos, qui de hac vel minima quæque deſperant.

Iam

Iam vero nihil mirum eſt, eos ita ſentire ob ſuperuacuam ſapientiam, qui verſati ſunt in illis, quæ à ſacris eloquiis reprobantur, vbi traditur victimas, obſeruationesq́; extorum vanas eſſe, proculq́; fugiendas. illi vero quaſi vulgo præſtantiores, artes quidem alius alias ad præſagiendum accipientes, & operationes huiuſmodi comprobantes, ſola ſomnia negligunt, quaſi rem vltro ante oculos poſitam, cuius paſsim ignarus, & ſapiens æque particeps. Quid vero ſi ob hoc ipſum maior hic ſapientia ſit, quia communius munus habetur? non'ne & alia bona præcipue, quæ maxima ſunt, omniũ communiſsima ſunt? nihil inter omnia, quæ videntur, ſole diui-

nius, nihil ſole communius. Si
autem ipſum per ſe deum inſpi-
cere donum beatum eſt, certe
per phantaſiam percipere anti-
quioris, propriæq́; inſpectionis
eſt munus. hæc enim ſenſus eſt
ſenſuum, quoniam phantaſticus
ipſe ſpiritus ſenſorium eſt com-
muniſsimum, primumq́; animæ
corpus. & hoc quidem latet, a-
gitq́; intus, principiumq́; anima-
lis habet velut ex arce. Nam cir-
ca ipſum vniuerſam capitis fa-
bricam natura conſtruxit. Au-
ditus autem, atq; viſus non ſunt
quidem ſenſus, ſed inſtrumenta
ſenſus, communi ſenſui mini-
ſtrantia, & quaſi quidam anima-
lis ianitores, & oſtiarii, nuntian-
tes domino ſenſibilia forinſecus
occurrentia, quibus pulſantur
exter

externa ſenſoria. Intimus interea ſenſus in cunctis ſui partibus ſenſus eſt integer, toto nanq; ſpiritu audit, toto videt, ſimiliterq́; reliqua valet. diſtribuit autem vires alias aliis, quarum quælibet deriuatur ex animali ſeorſum, ſunt quæ velut rectæ quædam lineæ profluctes è centro, & connuentes in centrum, vna quidem omnes ex communi radice, multæ rurſum proceſsione iam factæ. Senſus igitur, qui per inſtrumenta fit palàm propoſita, maxime eſt animalis, tametſi nō prius eſt ſenſus, quàm recurrat in primum. Senſus autem ſine medio factus, & animæ propinquior eſt, & certe diuinior.

Phantaſia eſt perſpicacior, quàm ſenſus exterior.

AT vero ſi corporeos quidem ſenſus ob cognitionem honorantes, quoniam maxime cognoſcamus, quæ cernimus, phantaſiam reſpuimus tanquam infideliorem ſenſu, videmur non ſatis animaduertere: ne oculum quidē ipſum vere omnia nobis oſtendere, ſed aliud nec oſtendere, aliquid quoque mentiri, tum per naturā eorum, quæ videntur, tum per naturam inſtrumentorum. Sanè ex interuallis minora, maioraq́; eadem offeruntur, & quæ videntur per aquam grandiora nobis occurrunt, ac remus occurrit fractus, accedit & debilitas oculi. Nam & lippus oculus confuſa, indiſcretaq́; obiicit. Quicunque igitur phantaſtico languet ſpiritu,

ne

ne exigat perſpicua, diſcretáq; viſa. qui vero ſit eius morbus, & quibus de cauſis langueat, hebeteturq́;, quibus´ve purgetur, atque defecetur, & in naturalem reſtituatur puritatem, à philoſophia ſecreta tibi eſt perdiſcendum, à qua myſteriis purificatus, & diuinus euadit. atqui & influxus exteriores effugiunt antè quàm deum ſpiritus intromittat, & quicunque victu quodam ſecundum naturam hunc cōſeruat purum, hoc vtitur admodum præparato, adeo, vt hac inſuper ratione munus eiuſmodi ſit cōmuniſsimū. Percipit enim eiuſmodi ſpiritus animæ quoq; ipſius affectionem, neque compaſsione caret ad ipſam, ſicut terrenum corpus huic circūdatum.

hoc enim & oppositas conditiones habet præstantioribus affectionibus animæ. At primum eius, propriumque vehiculum, anima quidem bene se habente tenuatur, ætheriamq; sortitur conditionem: habente vero se male, hebescit, euaditq; terrenum. Omnino vero hoc est rationis interuallum, irrationalisq; naturæ, & incorporei gradus, atque corporei, & terminus vtriusque communis: perq; hoc medium diuina coniunguntur extremis, hac vtique ratione arduum est naturam eius philosophia comprehendere.

Spiritus phantasticus est primum animæ uehiculum.

VEndicat enim sibi spiritus hic aliquid velut propriũ, tanq

tanquam ex vicinis quibusdam ab extremis vtrisque, & quæ tam longe disiuncta sunt, occurrunt in vna natura. atqui essentię phantasticæ latitudinem natura per multas rerum sortes extendit. Descendit vtique vsq; ad animalia, quibus non adest vlterius intellectus, neque tunc est vehiculum diuinioris animæ, sed subiectis præsidet viribus, atque est animalis ipsius ratio, multaq́; per phantasticam hãc essentiam sapit animal, agitq́; decenter, purgatur & in brutis, adeo, vt præstantius aliquid inseratur, tota quinetiam genera dæmonum ex eiusmodi vita suam sortiuntur essentiam. illa enim ex toto suo esse imaginaria sunt, & iis, quæ fiunt intus imaginata. Homo

quinetiam multa per hanc exercet etiam ſolam, aut ſi per aliud, per hanc vtique magis. Intelligentias nanque edere non ſine phãtaſia ſolemus, niſi forte quiſpiam ad breue immaterialem attigerit ſpeciem, phantaſiam vero ſupergredi, non minus eſt arduum, quàm beatum. Hinc Platonicum illud: optabile illud eſt in primis, ſatiſq́; factum, ſicui vel in ſenectute mens, ſapientiaq́; contigerit, ſignificans intelligentiam abſq; phantaſia lucentem. quippe cum præcedens, communiſq́, vita phantaſiæ ſit propria, vel ſaltem phantaſia vtentis intelligentiæ.

Spiritus phantaſticus inter æterna, & temporalia medius eſt, quo & plurimum uiuimus.

Pro

PRoinde ſpiritus hic animalis, quem beati ſpiritalem quoque animam vocauerunt, ſit deus, & dæmon omniformis, & idolum. In hoc etiam anima pœnas exhibet. de hoc conſentiunt & oracula, vitam in hoc animæ cõparantes imaginationibus ſomniantium. Philoſophia quinetiã comprobat præcedentes vitas eſſe præparationes quaſdam ad vitas ſubinde ſequentes, dum & optima in animabus affectio, vel habitudo ſpiritum eiuſmodi leuius efficit abſtergitq́; habitudinis deterioris profunditatem. Tractibus igitur naturalibus aut attollitur in ſublime ob caliditatem, atque ſiccitatem. Idq́; apud Platonem alarum aſſumptione ſignatur, & apud Heraclitum ſi-

gnificat idē ſplendor ſiccus, anima ſapiēs, aut craſſus, humiduſq́; fit ſpiritus, vnde immergitur terræ ſeceſsibus, naturali pondere delitеſcens, expulſuſq́; in ſubterraneam regionem. Hinc enim locus ſpiritibus humidis maxime cōgruit. Ibiq́; uita infelix degitur, & obnoxia pœnis. licet autem tempore, & labore, vitiſq́; aliis animam purificatam rurſus emergere, curſum enim per geminas agit vitas, viciſsimq́; melioribus deterioribuſq́; propinquat. eiuſmodi ſpiritum mutuatur à ſphæris anima prima deſcēdens, & hanc velut cymbam aſcendens commercium init cum mundo corporeo, atqui certamen agit eiuſmodi, vt vel ſimul ducat, vel non remaneat ſimul.

Nempe vix quidem, fieri tamen poteſt, vt dimittatur nõ ſequens vlterius, nefas enim eſt notis non credere ſacris. turpis autem accideret ad ſuperos redditus, quando animæ non redderent alienum, ſed circa terrã relinquerẽt, quod deſuper acceperunt. Atque hoc quidẽ vni, & ſecũdo donum dei myſteriorumq́; acciderit. natura enim comparatum eſt, vt anima ſemel huic inſita, vel ſimul impetum faciat, vel trahat, vel forte trahatur, omnino vero congrediatur, donec vnde venerat, rurſus aſcendat. Quapropter cum ob deprauationem ingraueſcit, contrahit ſecum animam, quæ permiſerat id grauari, atque id eſt, in quo eloquia ſemen in nobis intellectuale per-

terr

6

terrent his verbis, neque declines infra in obſcurum mundum, cui profundum eſt ſemper infidele ſubſtratum, & infernus ater vndique, ſordiduſq; gaudens idolo demens. quo enim pacto menti expedit, ſtupida vita, demẽſq;? at idolo, id eſt ſimulacro ob talem tunc affectionem ſpiritus inferior competit locus. Simile nanque gaudet ſimili.

Phantaſticus ſpiritus poteſt purior, & impurior fieri, leuior, atq; grauior.

PRoinde ſi per copulam vnũ conficitur ex ambobus, intellectus quoque propter oblectationem, aliquando ſe immergit. id autem malorum omnium eſt extremum, ne præſens quidem malũ animaduertere, quo qui

qui premuntur, non conantur emergere, quibus durissimum iam callum morbus obduxit. Ideoq́; cũ nihil doleat amplius, merito neq; curare contendunt. quamobrem pœnitẽtia vim habet peculiarem ad supera reducẽtem. Qui enim præsentem statum fert, ægre excogitat fugam. Itaq; maxima purgationis pars est voluntas. huius nanque munere, tum facta, tum dicta manum porrigunt. hac vero sublata, omnis purgatoria machina caret anima. quippe cum maximum reconciliationis pignus ei desit, hãc ob causam & hic, & ibi, punitiones ordini rerum maximum afferunt adiumẽtum, dum molestiam oblectamentis opponunt, stupidamq́; expurgant ex anima

anima noſtra lætitiam. Tum vero caſus, qui præter merita dicuntur incidere, plurimum conferũt ad affectũ, quo his afficimur, extirpandũ fortunis, certe eiuſmodi apud eos, qui mẽtem habent, prouidentia confirmatur, quibus & qui mente capti ſunt, diffidere de prouidentia ſolent. nullus enim relinquitur animæ locus, quo materiam fugiat, ſi in nullum hic malum inciderit. Quapropter exiſtimandum eſt inferioris prouinciæ præſides vulgares adinueniſſe proſperitates tãquam animalibus inſidiaturas. Itaq; hinc emigrantibus animabus obliuioſum contingere potum alius dixerit, ingrediẽti vero hanc vitam, animæ potum obliuionis affert cõditio ſuauis,

& blanda. Cum enim ad primã vitam anima deſcenderit mercede laboratura, libenter ſerua euadit pro mercenaria. deſcenſus quidem hic tendebat, vt ipſi vniuerſi naturæ myſteriũ adimpleret, ita regulis legis ineuitabilis ordinantibus. Faſcinata vero materiæ donis perinde afficitur, atque illi, qui, cum liberi ſint, ad certum tempus mercede conducuntur ad opus, vbi ancillæ cuiuſdam pulchritudine capti, moras trahere volunt, ipſius amatæ domino ſeruire conſtituentes. Iam vero nos, quando ex profunda ſententia externiſq; circa corpus bona videntur, oblectamur, conſentire videmur naturæ materiæ eam eſſe formoſam. hæc autem conuentionem noſtram

pro

pro arcano ſignat libello, atq; ſiquando inde diſcedere tanquam liberi ſtatuamus, profugos eſſe clamat, & reuocare conatur, ac tanquam fugitiuos ſeruos repetit, libellum in medium introducens. tunc ſanè fortitudine, auxilioq́; diuino potiſsimum opus eſt animæ. quippe cum non ſit leue certamen, ſui ipſius abrogare confeſsionem, atq; pactū, contingit autem & vim inferri. pœnæ nãq; vltrices materiales, tunc & iuxta fatum mouẽtur aduerſus eos, qui à legibus fati rebellant. Atque id ipſum eſt, quod ſignificant labores Herculis, & pericula, quæ oportuiſſe Herculem tolerare, ſacra teſtantur eloquia, & ſiquis alius fortiter pro libertate contendit, quod ad ſpiritum,

tum,illucuſq; traducat, quò naturæ manus minime porriguntur: at ſi intra terminos eius ſaltus acciderit,in anguſtum anima coërcetur,grauioribusq́; opus eſt certaminibus. tunc enim nobis ipſa non parcit, quaſi videamur iam alieni, etſi de aſcenſu deſperet,pœnas exigit pro conatu. vitasq́; promit non ab vtriſque iam doliis, quæ Homerus occulte ſignificat tradens, duas eſſe materiæ portiones, duplicem diſtribuens fati conditionem, à quo bonum quidem nunquam eſt ſyncerum. Iam vero & aliquis deteriorem ſortem patitur temperatam.

Quàm utilis ſit pœnitentia delictorum, quam pernicioſus mortalium amor.

 Omni

OMnino vero vitæ omnes in errore verſantur, errore inquam, vbi poſt primum deſcenſum non fit ſubito reditus. Conſidera vtiq; quanto interuallo ſpiritus hic nobiſcum negotiatur. cum enim deorſum inclinatur anima, ſpiritũ quoq; graueſcere, immergiq́; ſacrum tradit eloquiũ, quouſq; regionem ſubeat vndiq; tenebroſam. cum vero reſurgit anima, ſpiritum etiam comitari, quatenus ſequi valet. valet autem, quouſque in gradum peruenerit omnino diſtantem. audi iam quid hac de re eloquia doceant. neq; etiam abiectiſsimum hoc materiæ præcipitio derelinques, ſed etiã ſimulacro portio eſt in regione vndique lucida. Regio vero hæc regioni

gioni vndiq; tenebrosæ prorsus opponitur, tametsi hoc in loco nemo sic acutè nimium interpretatus fuerit. non enim solam in sphæras naturã inde profectam reuocare videtur eloquium: verum etiam siquid ex igni sublimi, vel aëre in naturam simulacralem anima contraxit ex alto descẽdens prius, quàm corticem terrenum indueretur, atque ex hoc ipsum ex aëre, igneq́; supremum inquit, vnà cum parte meliore ad superos reuocari. Quod enim dicitur materiæ abiectissimum, significare diuinũ corpus nõ potest. Iam vero ratio dictat, quænam communicant, conferuntq́;, ad vnũ non posse mutua quadam habitudine, iuncturaq́;, & perseuerantia inter se carere,

præſertim quorum vicinæ ſunt regiones, quemadmodum ignis eſt orbiculari corpori proximus, atque non ſicut terra rerum tenet extremum. Quòd ſi meliora deterioribus quandoque cedentia communione fruuntur, conficiunt in materia corpus indiſſolubile, tanquam formatum ab eo, quod in cõgreſſu permiſſum eſt imperare. forſan & deteriora non reluctantia aduerſus actum, actionem'ue animæ, ſed manſueta, & obedientia prorſus, atque ſequentia, mediamq́; naturam indiſsipabilem exhibentia ipſius animæ primæ ductu in ſortem ſimul rediguntur ætheriam, communiq́; tractu tolluntur ad ſupera, ſi non ad vniuerſi ſummum, ſaltem elementorum

ita

ita transeunt summitatem, attinguntq́; regionem vtrinque lucentem. habet enim (vt inquit) quandam in se portionem, id est in ordine quodam corporis orbicularis recipitur. verũ de parte, sorteq́; elementorum hæc dicta sufficiant. Quæ credere licet, atque non credere: essentiam vero corpoream, inde profectam negare non licet naturaliter anima reuolante attolli simul ex infimo, sphærisq́; coaptari, hoc est in naturam propriam quasi refundi.

Anima corpus habet cœleste, pariter & aëreum quibuscum ad supera reuolat.

HAe quidem duæ extremæ sunt regiones, atque sortes. Altera vtrinq; prorsus ob-

ſcura,altera vndique lucens,quæ & felicitatis, infelicitatiſq́; ſunt extrema ſortitæ. Tu vero quot exiſtimas in mundi capacitate eſſe medias regiones, quæ ex altera quidem parte ſunt atræ, ex altera vero lucentes. in quibus omnibus anima vnà cum hoc ſpiritu vitam degit, ſpecies, & mores, & vitas alterne commutans. Cum igitur in propriam generoſitatem ſe recipit, veritatis eſt penus.pura enim eſt, perlucidaq́;, ac prorſus immaculata. eſt & deus, atq; vates, ſi libeat.cum vero delabitur,obtenebratur,erraticaq́; euadit,& mendax.quod enim caliginoſum eſt in ſpiritu rerum verarum perſpicuitatem capere nequit.Cum deniq; tenet medium, partim quidem aberrat,

rat, partim vero conſequitur. Poſſes & hac ratione dæmonicam quoque naturam, eiuſq; ordinem explorare. In omnibus enim conſequi vera, vel paululum aberrare diuinũ eſt, aut propè diuinum. conditio vero aberrans in prædicendo ad eos neceſſario pertinet, qui ad naturã inclinantur aſsidue, quorum & cõditio paſsioni obnoxia eſt, ac prorſus ambitioſa. Hoc enim pacto ſubterranea ſubit, dimittitq; deum, antiquioremq; dæmonẽ. Sed alia ratione hunc recipit, aditq;, & aſſequitur regionem naturæ præſtantiori dicatam.

De regione omnino lucida, & omnino obſcura, atque de media, & quomodo paßim ſpiritus reuoluatur.

PRoinde ordinem animæ viuentis in homine hinc deprehendere licet in quocunque phantaſticus ſpiritus purus eſt, atque compoſitus, & vigilans, atque dormiens veras rerum effigies accipit. Hic ſanè tunc pignus poſsidet, quo aſſeuerare poſsit ipſam animæ ſuæ figurã meliori ſorte potiri. Neq; leuiter inſuper venari poſſumus, quænam potiſsimum animalis ſpiritus ſit affectio ex imaginationibus, quas præcipue promit, & in quibus ſe verſat, quando à nullo pulſatur extrinſecus, Philoſophia huic ſuppeditãte iudiciaria, atq; monente, vt hunc nutriamus, diligentiſsimeq́; curemus, nequãdo aberret. Educatio autem optima eſt ſecundum intuentem, percipient

pientemq́; potentiã semper agere,& omnino,vt intellectualis sit semper actus ipse præcipuus animæ. Atque,quod fieri potest,absurdos,temerariosq́; impetus cõceptus phantasiæ semper anticipemus. Hoc autem est,vt in primis ad optimum conuertamus, neque cum deteriore commercium ineamus,nisi quãtum summa cogat necessitas. Intellectualis autem intuitus res quædam est,maxime omnium,quæ in spiritu sunt,concreta secernens. Extenuat enim ipsum clàm supra quàm dici possit , dirigitq́; in deum:hic vero factus ad hoc idoneus trahit cognatione quadam diuinum spiritum ad animæ nostræ commercium, quemadmodum condensatione aliqua cohi-

betur, fitq; angustior, quàm vt implere possit sedes assignatas ei à prouidentia hominem effingente, quæ in cerebri sunt ventriculis, tũc sanè natura vacuum in rebus non tolerante, spiritus malus insinuatur. Tunc vero quid non patiatur anima inexecrabili malo assidue pressa? sic enim natura comparatum est, vt spiritus ipsius sedes, in hoc ipso dispositæ, vel peiori quodam, vel meliori sint plenæ, & hoc quidem malum pœna est impiorum, qui diuinum eis sibi insitum inquinarunt, illud vero bonum, aut finis ipse pietatis est, aut proculdubio prope finem.

Quomodo deprehendat aliquis puritatem sui spiritus, atq; impuritatẽ, & qua ratione purificet.

CVm vero de vaticinio per ſomnia facto diſſerere ſtatuerimus, ne id homines ſpernerent, imo colerent, tanquam vitæ admodum profuturũ, ad hoc ſanè phantaſticam naturam curioſe tractauimus, ex hac autem diſputatione, quod in præſentia confert, minus apparuit. Fructus autẽ præſtantior eſt ſani ſpiritus ad ſuperna reductio. Lucrũ certe animæ ſacrum adeo, vt meditatio quædam religionis ſit conari eiuſmodi ſpiritum reddere vaticiniis aptum. Iam vero quidam hanc ob cauſam auiditate vaticinii capti, menſam ſacram, atq; mitem antepoſuerunt turgidæ mẽſæ, amaueruntq́; cubile purũ, ac prorſus immaculatũ. Permultum certe abeſt, vt qui in pythio

tripode, phœbeaq; lectica trahebat, moras ad vaticinium, his vſuris noctes ibi protraheret intemperantiæ teſtes, immo vero & obſecrabat deum, & votis impenſior incumbebat. Quod vero paulatim accumulatur, euadit denique multum, & quod per aliud efficitur, in maius denique deſinit, dum videlicet deum vehementius amare pergimus, atque ad hunc amorem cohortari eos, qui antea non amabant.

In primis elaborandum eſt, ut phantaſticum ſpiritũ habeamus purum, & uaticiniis aptum.

NOn igitur ſpernendum eſt vaticinium nos ad diuina perducens, habens'que propè aſſiſtens, quod eſt in animæ potentia præſtantiſsimum. Neq; vero ob

ob hoc minor eſt vtilitas animæ ſic deo coniunctæ, quòd in diuinum eſt recepta commercium. non enim interea deſerit animal, nam & ex ſpecula inferiora circunſpicit multo plenius, quàm ſi cum deterioribus ſit commiſta. quapropter permanens inconcuſſa, dabit eorum, quæ fiunt, imagines animali, atque id eſt, quod dicitur deſcendentem non deſcendere, quando natura præſtantior deteriorem curat non detenta. Eiuſmodi equidem vaticinium & adeſſe mihi opto, & afferre filiis, cuius comparandi gratia longum iter aggredi non compellimur, nec extra fines enauigamus, quemadmodum ad Apollinis Pythii, vel Iouis Ammonis oraculum, ſed ſufficit da-

re ſe ſomno lætis manibus, diuiniſq́; laudibus celebratis, huic illud ſimile. hæc autem læta prius, & puri coloris amictus induta Mineruæ vouet. Sic itaque ſomnium exoptabimus, quemadmodũ forſan optauit Homerus. Iam vero ſi paratus fuerit, aderit, qui procul eſſe dicitur, eueſtigio deus, quandoquidem nobis nihil eiuſmodi operatis, ſed tantum dormientibus vbiq; fit præſens, atq; hæc quidẽ eſt myſteriorum tota tractatio, propter quã nemo vnquã inopiam accuſauit, quaſi propterea minus quàm diuites conſequatur. Pleræq; Res publicæ ſacrorũ antiſtites ex nobiliſsimis, ditiſsimiſq́;, ſicut Athenienſes claſsis gubernatores eligunt, apudq́; illos opus eſt magnificis

ſum

ſumptibus, & fortuna non parua, vt aduehatur herba cretenſis, & ægyptia penna, osq́; ibericum, ac per Iouem ſi quid prodigioſum in profuudo maris naſcitur, atque nutritur, ſiue occidente ſole, ſiue oriente. Traduntur enim eiuſmodi quædam, & alia eiuſdem generis plurima de illis, qui vaticinium acceptum forinſecus machinãtur. quibus ſuppeditandis nullius ſufficit priuati facultas, ſomnium vero videt, tam qui paruum, quàm qui magnum poſsidet cenſum, & qui victus extremitate laborat. videt ſpeculator pariter, atq; mercenarius, nec ciuis aliter, quàm peregrinus, nihilo vero differt apud deum ad vaticinium bubulcus, mancipiumq́;, & inſanus à cæteris.

teris. Quòd ſanè huius conditio vaticinii admodũ popularis eſt, certe eſt humaniſsimum. quòd ſimplex, ac per ſe paratiſsima, eſt admodum philoſophicũ. quòd nõ violenta proculdubio pium. quòd adeſt vbique, quod've cogimur adhibere aquam, aut petram, aut hiatum terræ, diuiniſſimum merito iudicatur. Decebat & inter prima laudare, quòd eiuſmodi vaticinii gratia ne ab vno quidem negotio vitæ diſtrahimur, neque tempus conterimus vllum. nemo enim poſthabitis neceſſariis, præſentibusq; negotiis, cubitum abit domum ad ſomnium conſtitutũ, ſed tempus ipſum duntaxat, quod neceſſarium eſt animali conterere naturæ inſtaurandæ gratia, cum

ſub

ſubſtantia nobis ad perpetuam vigiliæ actionem ſufficere nequeat, tempus inquam hoc nobis, hoc ipſum vltro largitur, quod & dici ſolet, otium negotio maius, coniungens nimirum optabile, neceſſario, ac bene eſſe, cum ſimpliciter eſſe. Contra vero circa præſagia, illa, quæ inſtrumentis variis aduenire ſolēt, optime nobiſcum actum exiſtimandum eſt, ſi, dum plurimam vitæ partem ſibi vendicat, interea concedant aliquid cæteris vitæ vſibus, atque actionibus. Quibus ſi qua in parte prorſus mentem intenderis, difficile admodum ad hanc ipſam iuuaberis vaticinio. non enim eſt cuiuslibet temporis, aut loci apparatum, ſupellectilemq́; capere ritibus ſa-

cris ſubminiſtrantem. neque facile eſt ſecum circunferre inſtrumenta ſolennibus neceſſaria. Atque, vt alia prætermittam, vbi nuper coaceruata ſupplicia ſunt, immitis quædam eſt onerositas cauæ nauis, quibus cum & aliæ ſacrorum partes accedunt, deſcripti homines videlicet, atque teſtes, ſic enim dictu verius eſt, quando noſtrum hoc ſeculum multa per legum miniſtros ſolet enuntiare, quorum opera iam diuulgati ſacrorum ritus in profani vulgi conſpectum, auditum'que venerunt. Præter enim id, quod infeſtum eſt, atque miſerum (vt arbitror) his incumbere Deo proculdubio eſt inuiſum, nam non expectare volentem aliquem, ſed impulſu,

vectibusq́; mouere, nihil aliud eſt quàm vim inferre, quod quidem nec apud homines factum conditor ipſe legum reliquerit impunitum. Itaque præter hæc omnia, quæ perardua ſunt apud eos, qui futurum ita rimantur, accedit & actionis ipſius intermiſsio frequens, & dum vagamur extorres, artis ipſius obmiſsio. non enim leue opus eſt oberrantes paſsim ſarcinas ad eiuſmodi viaticum ſecum ferre. Vaticinii vero ſomnio venientis ipſe quiſque eſt inſtrumentum, vt neq; volentibus quidem oraculum eiuſmodi dimittere liceat, ſed cum manentibus permanet, cum peregrinantibus æque commigrat, commilitat quoque, ſimulq́; ciuilia tractat,

corrusticatur, atque commercatur. Vaticinium hoc nec inuidæ ciuitatis leges vetant, neq; vetare possent, etiam si voluerint. non enim habent, quo vaticinantem eiusmodi reprobent. quid enim dormientes iniuriamur? sed neq; tyrannus insomnia uidere prohibeat, nisi forte somnum ex vrbe procul expulerit, sed & dementis esset impossibilia velle, & impii, mandare naturæ, Deoq; contraria.

Quàm utile uaticinium, & optandum, præsertim per somnia.

AD hoc igitur vaticinium accedere decet fœminas, atque viros antiquos, & iuuenes, pauperes, atque diuites, priuatos, & principes, rusticos, & urbanos, elegantes, atque plebeos. non genus,

nus,non ætatem,non fortunam, non artem aliquã reſpuit.omnibus paſſim adeſt propheta paratus, conſultor bonus, & tacitus, ſacrorum præceptor,atque diſcipulus.prædicit quidem bonum, vt anticipans vſum voluptatem habeat longiorẽ.prædicit & malum, vt caueamus incõmodum, atq; propulſemus. etenim quæcunque ſiue ſpecies genus hominum nutriẽtes optima, blandaq́; porrigunt,ſiue metus affert, prouida,& vtilia omnia ſomniis inſunt,atq; à nullo prorſus ita ſperare perſuademur,tametſi ſperãdi munus adeo in natura plurimum eſt, atq; ſalutare, vt ſophiſtæ prædicẽt elegantes, nec optaturos fuiſſe homines viuere ſic affectos.quemadmodum ſunt ab

initio cōſtituti. Reſpuerēt enim ſic viuere difficultatibus vitæ compulſi, niſi Prometheus naturæ ſpem ipſam inſeruiſſet, tanquam perſeuerandi in vita remedium, cuius illecebris irretiti, quod expectāt in futurum, præſenti ſtatu fidelius arbitrantur. Habet autem ſpes ipſa vim tantam, vt vinctis compedibus, ſiquando licuerit, inciderítq;, pro voto ſperare (vt ita dicam) ſoluitur. militat, ſubito duplo proficit. Paulo pòſt regit manipulum, mox ducit exercitum, vincit, mactat, coronatur, conuiuia ponit, menſam parat, ſi placet, Siculam, ſi libet, & Medicam. Interea oblitus eſt pedū, donec iam eſt ducturus exercitum. atqui hoc eſt re vera ſomniantis, & vigilan

gilantis, inſomnium. nam circa idem ſubiectũ verſantur vtraque ſcilicet circa naturam phantaſticam, quam quoties formare ſtatuimus imaginibus, vnam hãc in primis affert vtilitatem. delinit enim vitam noſtram lætitia, animæq́; ſpe uaga blanditur, atq; ita nos à ſenſu reuocat moleſtorum.

Exhortatio ad uaticinium ſomnij comparandum, atque de imaginationis efficacia.

QVando vero natura phantaſtica proprio munere nobis præſidens ſpem nobis excitat, id autem accidit ſomniantibus, ſomniale promiſſum tanquam dei pignus, habemus. quãobrem iam aliquis animum ſuum alacriter inſtruens tanquã grandioribus vſurus muneribus,

quæ in ſomnium propoſuerat. lucrum reportat geminum, tum quòd ante rem ipſam gaudet, tum quòd partis aliquando rebus ſcienter vtitur, propterea quòd iandiu de his fuerit meditatus, tanquam vitæ admodum competentibus. Iam vero quam Pindarus ſpem làudauit de viro ſcilicet felice locutus dicẽs, ſpem huic almam cor dulce nutrire, eumq́; comitari, quæ mortalium vndiq; nutabundam mentem maxime regit, eiuſmodi ſpem inquam ab eo decantatam. dixerit aliquis, non eſſe fallacem hanc, quæ decipit vigilantes, quã ipſi nobis effingimus, ſed totum hoc ad ſomnialem ſpeciem potius attinere, atque Pindaro dictum ad celebrandam partem exig

exiguam ſomniorum. Vatici-
nium igitur ſomniale vnà cum
arte proſequens, quod apparet,
ſpeciem exhibet firmiorem, vt
non vtilioris eſſe generis non vi-
deatur. Penelope vero apud Ho-
merum duas ſomniorum por-
tas inducit, affirmatq́; dimidium
eſſe fallax, quoniam ſomniorum
ſapientiam non habebat, ſi enim
artem ſcite ad hæc habuiſſet,
omnia vtique per portam cor-
neam traduxiſſet. Inducitur er-
gò illic redarguta, inſcitiamq́;
confeſſura circa ipſam viſionem,
cui non credidit, cum credere de-
buiſſet, Anſeres quidem proci.
Ego vero Vlyſſes ſum aquila, hic
autem erat contubernalis, atque
id erga illum de viſione nugaba-
tur. Videor equidem Home-

rum hic audire dicentem, non decere diffidere ſomniis, vel vtẽtium debilitatem ad viſorum transferre naturam, apud quem nec Agamemnon iuſte ſomnium criminatur, vt fallax, cum male accepiſſet oraculum de victoria dicẽs, iubeo te thoracibus armare galeatos Achiuos. nunc enim ceperis ampliſsimã urbẽ. Properat igitur Agamẽnon tanquam repente propriis viribus urbem expugnaturus, vbi quid omnino dictũ eſt, ab oraculo obaudiuit, neq; ſeruauit. Inquit enim oraculum, ſuperabit ſanè, ſi totum omnino exercitum Græcorũ armauerit: at vero neque Achilles tunc, neque Myrmidonum phalanx proceſsit in prælium, pars nimirũ exercitus præſtãtiſsima.

Quant

Quantam ſpem nobis uaticinium ſomnij præbeat.

MVltas vtiq; laudes accumulauimus, veruntamē quaſi deſipui. quod enim vaticinium ſomniale connauigat nobis,& commoratur,commilitat, et cōmercatur,omnibusq́;omnia comminiſtrat,paulo antè prædiximus. beneficia vero mihi inde collata nondum memoraui, tametſi in nullo magis quàm philoſophiæ cōmercio, cum hominibus communicare ſolet,multa ſanè vigiliæ dubia,poſtquā dormitū acceſsimus, partim patefacit omnino, partim nobiſcū ambigit,& nunc quidē qui ſomniat interrogare videtur, & diſcere, nunc etiam inuenire. Mihi quidem ſæpe libros mecum vnà,

ment

mentem enim inſtruxit, orationem compoſuit, diem partim quidē deſcriberet, partim etiam commutaret, quandoq; vero & totam linguæ diſpoſitionem ſtolidam, atque tumentem nominum nouitate ob nimium atthicę linguæ antiquioris, durioriśq; amorem vaticiniū hoc per deum corrigens, & partim quidem dictans, partim vero, quid ſit, oſtēdens, tumores quoſdam ingenitos linguæ deliniens leuigauit, tumorē expulit, modumq́; adhibuit. Atqui & dum quandoque venarer, vires mihi, inſidiasq́; ſubminiſtrabat aduerſum feras arte quadam currētes, atq; latentes, quandoq; etiam defatigato, caſtraq́; diſſoluenti inſtare præcepit, promiſitq́; fortunam in domi

dominam, adeo, vt dulce foret venationibus immorari alacriter confidenti. Diuinatio vero eiuſmodi cum primum deeſſet, domina aderat, & fortuna. hæc ſanè monſtrabat examina irretitarum, captarumq́; ferarum. mihi quidem vita libri ſunt, atque venatio, quoniam nunquam legationibus fungi deſideraui, exiſtimans non conferre tres annos è vita videre nefaſtos. verum & tunc plurimum hoc vaticinio, & maxime ſum adiutus. Inſidias enim contra me magorum animas citantium reddidit impotentes, tum patefaciens occulta, tum ex omnibus diſcriminibus liberãs. Itaq; & publica mihi diſpoſuit, vt ciuitates optime regerentur. Regi quoq; magno ma-
iori

iori me fiducia, quàm Græcorum aliquem vnquã, conciliauit.

Somnium affatim nobis uaticinia præstat.

CAeteris quidem cura eſt aliorum, hoc autem adeſt omnibus, bonus vnicuique dæmon, atq; iis, qui vigilantes meditati ſunt artificioſe aliquid inuenire, præceptor occurrit. Adeo ſapiens res eſt anima otium agẽs à ſenſuum colluuione forenſium animæ naturas vndique inferentium alienas. Anima nanque quotcunq; ſpecies habet, et quotcunq; accipere ſolet à mente facta, quandoq; ſola perſpicuas exhibet ad interiora conuerſis, & quæ veniunt à diuino traducit. Nam animæ ita ſe habenti Deus quoq; mundanus ſe prorſus ad-

iung

iungit, propterea quòd animæ ipſius natura ex eodem ſimul, atque illc profluxit. Hæc igitur genera ſomniorum diuiniora cenſentur, atq; vel omnino, vel quaſi penitus integra ſunt, atq; perſpicua, minimeq́; artis indigent adminiculo. Sed hæc quidem ſolis contingunt hominibus virtute viuentibus, vel per prudentiam, vel per conſuetudinem acquiſita. ſin autem aliquando & aliorum alicui forte contingant, vix quidem, quamuis forte accident. Verũ non in exiguo quodã ſomniũ generoſum cuilibet accidet, reliquũ vero multiplex atq; communiſsimũ genus, illud eſt omnino reconditum, cuius gratia artem neceſſe eſt adhibere. originem nãq; habet abſurdam

(vt ita dixerim) atque monſtroſam. cumq́; ex talibus quibuſdam pullulet, progreditur obſcuriſsimum. ſic enim ſomniorum ſe res habet, vt dicam.

Vaticinium ſomniorum præſtò omnibus adeſt.

AB omnibus, quæ vniuerſi natura comprehēduntur, ſiue ſint in præſentia, ſiue facta fuerint in præterito, ſiue futura dicātur, nam & hi ſunt quidam exiſtētiæ modi, idola profluunt, & ab eorum ſubſtantia iugiter euibrātur. ſi enim ſenſibile quidlibet eſt εἶδος, id eſt ſpecies in materia, cum materia ſimul extenſa, deprehendimus autem ex compoſito materiam foras effluere: ratio certe dictat, formarum quoque naturam extrinſe-

cus

ctus per idola deriuari, vt ex vtraque parte ea, quæ in generatione verſantur, ab ipſa entis dignitate degenerent. Omnium vero, quæ diximus, idolornm à rebus vbique manantium ſpiritus ipſe phantaſticus ſpeculum eſt certe clariſsimũ. Aliter enim circumeuntia, & à ſtatu labentia, tum ob indefinitatem eſſendi, tum quia à nullo entium cognoſcuntur, cum primum irretiuntur in ſpiritus animales, qui & ipſi quidem ſunt Idola, ſed in natura habentia ſedem, his protinus innituntur, & tanquam in domiciliis conquieſcunt. Eorum igitur, quæ facta ſunt, vtpote, quæ in eſſendi actum iam proceſſerunt, perſpicua paſsim idola demittuntur, donec temporis

diuturnitate debilia tandem, exiguaq; euadant. Eorũ vero, quę in præſentia ſunt, vtpote, quæ adhuc in ſe cõſiſtũt, validiora prorſus, & manifeſtiſsima ſimulacra perueniunt, ſed futurorũ indefinita ſunt, & admodum indiſcreta. Sunt enim hæc præuolumina quædam rerũ nondum præſentium & efflorefcentiæ, quædam adhuc imperfectæ naturæ quaſi proſilientes foraſq; ſaltantes, & tanquam deliteſcentiũ ſeminum obſcura ſignacula. Hanc ob cauſam ad res futuras opus eſt arte, ab eis enim idola obũbrata, imaginesq; obſcuræ procedũt, nimirũ nõ ut à pręſentibus manifeſtæ.

Ab omnibus profluunt ſimulacra, quorum ſpeculum, receptaculumq; eſt ſpiritus ipſe phantaſticus.

Mirab

MIrabilis quidem natura imaginum ita ſe prorſus habentium, vt à rebus nondum effectis efficiantur. Itaq; iam aliquid de hac arte dicendum, qua ratione valeat comparari. Optimum eſt in primis, ita diuinum ſpiritum præparaſſe, vt dignus euadat, cui intellectus, & deus innoteſcat, atq; præſideat. Imaginũ vero indefinitarum non ſit amplius ſuſceptaculũ, educatio autẽ ſpiritus optima eſt, tum per philoſophiæ ſtudiũ perturbatos ſedare animi motus, quibus excitatis, ſpiritus ipſe quaſi regio quædam penitus occupatur, tum per moderatũ, temperatumq́; victũ, & animal ſic afficere, vt minime incitabundum ſit, & ita componere corpus vltimum, vt fluctus

minime moueat, nam vſque ad primum vnda redundat. Oportet autem primum ſemper inconcuſſum, imperturbatum'que ſeruare. Quoniam vero id optare quidem vnicuique facile, conſequi vero præ cæteris arduum, nos autẽ deſideramus ſomnium eſſe nullis inutile: age iam vel in rebus indeterminatis terminum aliquem perquiramus. hoc eſt artem circa idola, id eſt imagines ſtatuamus. habent ſe vero hunc in modum.

Quomodo ſomnia interpretari poßimus.

QVi frequenter maria nauigant, ſiquando ſcopulum aliquem obuium habent, in quem aſcendentes vrbem aliquam inde proſpiciant, quoties eund

eundem ſcopulum viderint, eandem inter ſe ſignificant ciuitatem. quin etiam ſæpe duces exercitus, quos nondum videmus, interim à præcurſoribus ſtatim affore coniectamus, nam & antea ſemper eiſdem percurrentibus ſubſequi conſueuerunt. eadem ratione per idola res vbiq; futuras præſignare ſolemus. Antecedentia enim ſunt eadem rebus eiſdem ſimiliaq́; ſimilibus. Quemadmodum igitur gubernatoris ignauia eſt, eadem occurrente ſcopulo non agnoſcere, neque prædicere quibus litoribus applicat, taliſq́; gubernator coniecturarum ſubſidio caret: Sic & qui in idem viſum ſæpius incidens, niſi iam deſignauerit, quem potiſsimum euen-

tum ſibi portenderit,ſiue paſsionem, ſiue fortunam, ſiue actionem, vita dementer vtitur, non aliter, quàm naui gubernator eiuſmodi. Solemus & iouia ſigna in aëre circunfuſo notare, ſic circa lunam orbicularem aream intuentes procellas fore vaticinamur. quoniam eandem intuitis, ſæpius conſecuti ſint venti. huc tendit & poëticum illud, hinc ſanè tempeſtas, hinc tranquillitas deſignatur orbicularis, nanque area fracta ventos, euaneſcens vero portendit tranquillitatem. duo quidem circuli tempeſtatem præcedunt. vehementiorem vero portendit procellam circulus triplicatus, magis etiam ſi niger occurrerit, magis inſuper ſi frangatur, ſic

ſic in omnibus & Ariſtoteles, & ratio dictat, ſenſu quidem memoriam, memoria vero experientiam, atque peritiam, hac artem denique comprobari. Similiter & circa ſomnia debemus incedere.

Non poteſt communis, eademq́; regula ſomniorum interpretandorum ſingulis adhiberi.

PLeriq; libros de obſeruantia ſomniorum eiuſmodi multos compoſuerunt. Ego autem hæc omnia rideo, iudicans prodeſſe perparum. non enim ſicut corpus hoc vltimum, id eſt elementorum inter ſe conciliatorũ, coitus ſuſcipere poteſt artẽ vniuerſalẽ, ſermonemq́; naturæ pariter ſubſequentẽ. nam vt plurimũ eadem patitur ab eiſdem,

cum in rebus conformibus exigua ſit inter ſe diſcrepantia, quod've in eis præter naturam ſe habens ægrotat, latere non ſolet. ideoq; nec vtimur tali quadam indice regula, non inquam, ita ſe habet ſpiritus ipſe phantaſticus, ſed & ab origine prima alius diſcrepauit ab alio. alius enim cum ſphæra congruit alia, quatenus in eius contemperatione, illa præualet aut illa. Hinc poëticum illud, præcipue vero animæ beatiſsimæ animarum cœlitus in terram profluunt, atque illæ præ cæteris opulentiſſimæ, & inæſtimabilia fila ſortitæ. Quæcunque munus ſortitæ ſunt à ſplendido Rege, & quæ ab ipſo Ioue veniunt potentis filo neceſsitatis, hoc inſuper

per erat, quod clàm innuit & Timæus, vbi tradidit vnicuique animæ collegam ſtellam, ſiue conſertam. Animæ vero, & à natura ſua delapſæ, ex eo, quòd circa materiam libentius habitant, hæc quidem minus, illa vero magis, quatenus vnaquæque ipſa quaſi lancis inclinatione vſa eſt, infeliciter ſpiritum inquinauit. Inhabitant igitur corpora ſic affectæ, totaq́; inde vita in delicto, morboq́; ſpecies agitur, certe præter naturam, quantum ad generoſitatem ſpeciei attinet, ſecundum vero naturam quantum ſpectat ad animal, nam à ſpiritu ſic affecto eſt animatum, niſi & ipſi natura ſit ordo, in quem à ſeipſo eſt, ordinatur, prauitate, virtuteq́; vtens, nihil

enim æque, ac ſpiritus, facile eſt, atque vertibile. Quonam igitur pacto in rebus inter ſe diſsimilibus, tum natura, tum lege, tum paſsionibus reſultant, & appareat eadem ab eiſdem? certe neque fit ita, neque fieri poteſt. Quo enim modo aqua turbida ſimul, atque perſpicua, ſiue agitata ſimul, atque quieta ſub eadem forma ſimiliter affici poteſt? ſin autem & conditio turbida alia ſit, in alio ſecundum colorum differentias, atque ipſi motus in configurationibus variis, ſic vtique vnum quidem erit genere aberrare à ſyncera prorſus imagine, ſpecie vero diuerſum. Siue igitur Phemonoë, ſiue Melampus, ſiue alius quiſquam profiteatur communem

de rebus eiusmodi regulam definire, ac penitus ordinare, quæremus ab eis, nunquid speculum, tum rectum, tum peruersum, tum ex materiis dissimilibus similē obiecti reddere possit imaginem? Sed illi nec à principio quidem de spiritu philosophati sunt quicquam. Proprium vero ipsorum spiritum, vtcunq; se habeat, omnium esse regulam existimant, & examen, atq; ego quidem non nego per omnia inter se differentia, congruentiā quoq; aliquā inueniri, sed enim ipsum, quod obscurum est, dispersum, euadit obscurius, erat & ab initio difficile cognitu rei præexilientis idolum. Difficilius quoq; in vno quoque modo, more've percipere aliquid communi viso

persi

persimile, atque prorsus accommodatum.

Vnusquisque somnia sua, & suos inde obseruat euentus.

HIs de causis nullo modo sperandum est, leges insomniorum statui posse cunctis æque communes, debet autem potius vnusquisque se ipsum quasi artis habere materiam, & in memoria scribere potest qualia visa, in quales euentus inciderit. non enim difficile admodum habitus congregabit circa rem, quam vsu quodam, vel indigentia meditatur, vsus nanque necessitas've meditationem memoriæ suggerit, præsertim quando vbique materia suppetit. In somniis autem nihil est abundantius, nihil iterum, quod animos

mos ad ſe magis adducat. Nam & ſtultos compellunt ad aliquid de ſomniis meditandum, atque curandum adeo, vt turpe ſit futurum, homines implentes à pubertate decennium altero vate adhuc indigere, nec iam penes ſe ipſos multas eiuſmodi artis regulas cumulaſſe. Operæpretium vtique foret, viſa, & accidentia ſigillatim, tum vigiliæ, tum ſomni, literis commendare, niſi conſuetudo ciuilis nouitatem huius excogitationis horreret. hac ipſi venia iudicamus diurnalibus annotationibus, annotationes quoque nocturnales eſſe quotidie coniungendas, atque ita vtriuſque vitæ humanæ ſtatus tenere actus commentariis commendatos. uitam nanq;

aliq

aliquam in imaginatione positam ratio posuit, nunc quidem meliorem media vita, nunc vero deteriorem. Quantum videlicet sanitatis, aut morbi spiritus habet. Sic igitur si sedula quadam opera obseruationem huiusmodi prosequamur, ex qua ars paulatim accumulatur, dum nihil dilabitur è memoria, & alioquin vrbana hæc erit oblectatio, & exercitatio animi, dum nostra, tum vigiliæ, tum somni honoramus historia, & ad eloquentiam hæc exercitatio conferet. Quibus enim curæ est exercitatio linguæ, nullum (vt arbitror) est inuentum hoc accommodatius ad dicendi facultatem in omnibus exercendam. si enim Lemnius sophista scripta quoti-

diana tradit esse optimos præceptores ad singula passim apte dicenda, propterea quòd neque minima negligantur, sed oporteat omnia tum grauia, tum leuia eloqui, cur non etiam nocturnas annotationes interpretationis gratia colere debeamus?

Quàm uaria, & fallax, & lasciua sit in somnijs phantasia.

NOuerit vtiq; aliquis quantum opus aggressus fuerit, qui sermonem visis adæquare voluerit, in quibus separantur quidem, quæ natura cohærent, coniunguntur autem, quæ sunt natura discreta, atqui & ratione, disputationeq; opus est ad hæc, vt visum, quod non occurrit, occurrat, neq; etiam leue opus est motionē prodigiosam,

atque

atque obſurdam ſuborientem animæ in alterum traducere modum. Quando vero phantaſia expelluntur quidem ab eſſendi munere, quæ ſunt, introducuntur vero viciſsim in eſſe, quæ nuſquam, & nullo modo vel ſunt, vel naturaliter exiſtere poſſunt, quiſnam modus eſt viſis intrinſecus incogitabilibus obſtruere naturam prorſus innominabilem? Hæc autem iſta neque ſpecies multas, ſimul'que omnes, neque cum tempore ferens oſtendit, tametſi hæc, vt habet, & porrigit ſomnium, incidunt. Putamus enim quicquid voluerit animis occurſurum, in quibus ſanè omnibus exprimendis longius immorari, & id quidem abſque ineptitudine perfe-

ctissimi oratoris est opus, exultat quidem hæc insomniorũ iactabũda materia aduersus ipsam dignoscendi naturam, plus aliquid inferẽs, quàm simplex existimatio ferat. neq; enim absque passione circa visa versamur, sed vehementes quidem constitutiones, affectionesq́; contingunt, odia quoq; nõ minima veniunt, & frequentia circa hæc veneficia dormientibus imminent. voluptas sanè tunc maxime præualet, atq; hic vitæ status propensius admodum blandissimis illecebris est obnoxius, vsqueadeo, vt subolescant animo amores, & odia in vigiliam duratura.

Quàm prodigiosa in somnijs uarietas phantasiæ.

SI quis autem non vana ſit locuturus, ſed cuius gratia ſermo eſt inſtitutus, abſoluturus, in hac ipſe videlicet affectione, eiuſdem'que exiſtimationibus, perceptionibusq́; conſtituere auditorem, verbis vtique, quæ moueantur, egebit. Iam vero & aliquis ſimul vincit, gladiatur, volat, capit enim omnia phantaſia. Oratio vero quomodo capietur? dormit aliquis ſomnium, & inſomnia videt, ac ſurgit interea dormiens, vt exiſtimat, & iacens excutit ſomnum. Philoſophatur & aliquid de apparente ſomnio, utrunque nouit, atque hoc eſt ſomnium, illud vero duplex. deinde non adhibet fidem, putatq́; quod adeſt, eſſe verum, & quæ apparent, eſſe viuentia. Hinc ergo to

go totis viribus concertatur, & ſomniat aliquis certamen aduerſus ſe ipſum, tum dimittere, tum etiam excitare, periculumq́; ſui facere, & fallaciam deprehendere. Ferunt ſanè Aloidas pendere pœnas, quod Theſſalicos montes ſuperextruxerint contra deos. dormientem vero nulla ineuitabilis ſententiæ lex aliquando vetat ſeipſum in altũ à terris attollere fortunatius Icaro, & Aquilas ſuperare volatu. ſummas quin etiam ſphæras ſuperuolare, vbi & aliquis eminus orbem terræ conſiderat, & hunc non inſpectum lunæ ſignificat. Licet & diſputare cum ſtellis, atque cum diis occultis in mundo congredi. Quando enim factu difficillimum eſt, fit ibi facillimum, tunc

manifesti palàm dii prorsus occurrunt, neque horum nulla est inuidia. Paulopost in terris residet, neque processit quidem, sed protinus adest, nihil enim magis est proprium somniorum, quàm intercipere medium, nec agere tempore, sic vtiq; statim loquitur cum ouiculis, atque balatum putat esse sermonem, & quæ loquuntur intelligit, adeo itaque noua, adeo lata est argumentorum materia, prouinciaq́; tractandi, si quis in somniis contenderit accommodare sermones. arbitror equidem fabulas quoq; suam ab insomniis licentiam, & copiam accepisse, in quibus pauo loquitur, & vulpes, & mare, tametsi hæc exigua sunt, si cum insomniorum licentia conferantur.

tur. atqui fabulæ, quamuis ſint pars minima ſomniorum, tamen à ſophiſtis coluntur, ac dignæ interpretatione cenſentur. deceret vero quibus principium artis eſt fabula, eiſdem inſomnium eſſe finem, præſertim cum non fruſtra in his dicendi facultas exerceatur, quemadmodum nec in fabulis temere, ſed profundioris ſententiæ aliquid ibi lateat.

Quòd utile ſit uitæ ſimul, & eloquentiæ notare quotidie, quæ ſomniaueris, quæ feceris, quæ tibi contigerint.

ACcingat ſe igitur vnuſquiſque, cui datur otium, ſuppetitq́; victus ad omnia conſcribenda, quæ vel vigilanti, vel dormienti contingunt, expen-

dat in hoc temporis aliquid, à quo quidem optimum eſt, quod alibi intelligentia comparatur vaticinium, ſcilicet artem, quam laudauimus, cōgregare. qua quidem re nihil eſſe poteſt vtilius. quinetiam neque dicendi ratio, hinc obiecta erit tantarum conſequentia rerum. Philoſopho ſanè tractatus eiuſmodi ludus erit, atq; ſolatium, dum nimiā mentis remittet intentionem, quemadmodum Scythæ ſagittarii ſolent arcum. Rhetori vero tanquam demonſtrationum ſuarum ſummam & apicem eiuſmodi ſtatuemus. quoniam non opportune dicēdi facundiam, vehementiāq; exercere videntur. Milciadi inquam, atque Cimoni, & quibuſdam etiam ignobilibus, ac opulento,

lento,& inopi, ciuilia quoq; habentibus odio. Pro quibus equidem antiquos etiam vidi viros in theatro acriter concertantes, quanquã erant philoſophiæ nomine venerabiles,& vterque (vt videbatur) produxerat barbæ talentum. Verum nõ prohibuit eos profeſsionis reuerẽtia in conuitia, iurgiaq́; efferri, & immodeſte circũuertere manus in diſponẽdis ſermonibus abunde pro viribus, ſicut ego tunc arbitrabar, idoneis. vt autẽ retulerunt, qui me poſtea docuere, neq; tunc erant illi, neque aliquando fuerant, nedum idonei, ſed nec ab initio in natura. quo enim pacto ciuilitas erit eiuſmodi, quæ victori præmium dederit interficienti ciuem aliter de Repu. ſen-

tientem? Iam vero quicunque nonagenarius figmentum adhuc meditatur, atque contendit, in quod nō tempus verborum differat veritatem. Omnino nomen quidem ipſum meditationis intelligere mihi videntur, vbi aiũt propter aliud ſe ſtudere, hi autem apparatum eſſe finem exiſtimarunt, viãq́; ipſam, qua oportet incedere, pro termino coluerunt. Ipſam nanque meditationem fecere certamen. Quemadmodum ſi quis tum in palæſtra exercuerit ſtrenue manus, Pancratiũ in ludis profiteatur olympicis, adeo igitur & mentis ariditas, & afflu ẽtia verborum homines occupauit, vt eſſe videantur aliqui in dicẽdo quidem potentes, non habentes autem quid


ſit eloquendum, cũ tamen oportuerit, ita ſe comparaſſe quemadmodum Archilocus, & Alcæus, quorum vterque propriæ vitæ gratia erogarunt vocis canore dulcedinem. itaq; poſteritas memoria tenet, quibus oblectabãtur, quibus've dolebãt. non enim in argumentis confictis vanos effudere ſermones, quemadmodum recens hoc ſapientum genus facere ſolet, neque aliis ſuum largiti ſunt bonum, ſicut Steſichorus, & Homerus, qui genus quidem heroicum carminibus ſuis illuſtrius reddiderunt, vnde & nos ad virtutem profecimus imitandam. Illi vero, quãtum in eis eſt, neglecti videntur, de quibus nihil amplius habemus dicere, niſi quòd ſtrenui fue

re po

re poëtæ. Quiſquis igitur apud poſteros exoptat memoriã, confiditq; mandare poſſe literis immortalia, proſequatur ſcribendi rationem à nobis præter communem conſuetudinem in præſentia comprobatam. Deponat ſe ipſum audacter apud tempus. Fidus enim eſt cuſtos, quando ſecundum deum huic aliquid creditur.

❦

FINIS.




NESCIT LABI VIRTVS.